CHRIST. FRID. GLVCK
I. V. D.

DE

IVRE CIVILI PAPIRIANO

LIBER SINGVLARIS

ACCEDIT

IO. HENRICI MOLLENBECII

DISPVTATIO

AD IDEM ARGVMENTVM SPECTANS.



HALAE

SVMTIBVS CAR. HERM. HEMMERDE.

CIↃ IↃ CCLXXX.

LECTORI

S.

Opuſculum, quod Tibi in manibus eſt, B. L. publicis antea contradictionibus exponere, conſtitueram, ſed cum partim academicae exercitationis lineas praeter opinionem tranſilierit, partim, vt MOLLENBECII quandam *de Iure Papiriano* diſputationem, paucis certe viſam, eidem adiicerem, rogatus ſim, ſuaſu amicorum quorundam hac illud nunc facie prodire malui. Miraberis quidem, quid ſit, quod, cum tot Viri doctiſſimi, Summique ICti, *Iacobus* nempe RAEVARDVS [a]), *Io. Henr.*

a) *De auctoritate Prudentum Cap. I.*

MOLLENBECIVS [b]), *Ant.* TERRASSONVS [c]), *Niccol.* TORTORELLI DI FOGGIA [d]), *Io. Gottl.* HEINECCIVS [e]), *Herm.* CANNEGIETERVS

b) *Disp. de Iure Papiriano, quod apud Quirites antiquissimum fuit: occas. L. 2. D. de O. I.* Giessae Hass. 1697.

c) *Histoir. de la iurispr. Rom.* (a Paris 1750) *Prem. Part. §. IV-VIII. p. 20 seqq.*

d) *Degli Antichi Giureconsulti Rom.* (in Napoli MDCCXXXVI) *Lib. I. c. 1.*

e) *Observat. histor. de Iure Papiriano. ad L. 2. §. 2. & 36. D. de O. I.* in EIVS *opusc. minorib.* Amstel. 1738. *Opusc. I.* Non possum silentio hic praeterire iniquam sane labem, qua cineres HEINECCII commaculare non erubuit V. C. *Petrus Paulus* IVSTI in *Specimine obseruat. criticar.* Vienn. 1765. *cap. XI. p. 33.* accusans Nostrum, quod hanc suam *de iure Papiriano* Obseruationem paene integram illaudato plagio ex *Guil.* GROTII *Vitis ICtor. Lib. I. c. 1.* suppresso auctoris nomine compilauerit. Conferat quaeso Lector GROTIVM cum HEINECCIO, & mira-

RVS [f]), *Io. Dan.* RITTERVS [g]), *Gregor.* MAIANSIVS [h]), aliique,

Nulla dies vnquam memori quos eximet aeuo,

ad illuſtrandam *Iuris Ciuilis Papiriani* hiſtoriam iam operam ſuam contulerint, eandem denuo egomet mihi explicandam ſumſerim, qui neque aetate,

 neque

mirabitur accuſatoris inſignem aut calumniam aut errorem. Idem IVSTI *ἁμάρτημα* cenſoria, qua par eſt, animaduerſione notauit etiam Vir de elegantiori Iurisprudentia inſigniter meritus *L. I. F.* HOEPFNER in praefat. eleganti, quam HEINECCII *Inſtitut. Iur. Civ. cum animaduerſion.* ESTORIS *Suisque Gieſſ. 1775.* a SE editis praemiſit.

f) *Obſeruationum Iuris Rom. Lib. I. c. 15. pag. 96* ſeqq. (Lugd. Batav. 1772.)

g) *Obſeruat. ad* HEINECCII *Hiſtor. Iur. Civ. Lib. I. c. 2. ad §. 17. p. 30* ſeqq. (Argent. 1765.)

h) *Commentar. ad triginta ICtor. omnia fragmenta, quae extant in* I. C. *corpore. Tom. II. p. 129* ſeqq. (Genev. 1764.)

neque ingenio, neque auctoritate cum illis ſim comparandus; verum quamuis lubenter equidem confitear, me dicere haud poſſe,

— — *non prius*
Audita, Muſarum Sacerdos,
Virginibus, Puerisque canto;

facillimeque concedam, multa iamiam ab his Summi nominis ICtis de *Iure Ciuili Papiriano* egregie eſſe diſputata atque expoſita; hiſtoriam tamen antiquisſimae huius penes Quirites legum regiarum collectionis necdum ita cultam eſſe, atque in luce ſua collocatam, vt tuto nunc acquieſcendum plane fuiſſet, ſine arrogantia defendere licebit. Nam qui ante me idem illud argumentum tractarunt, partim non integram *Iuris Ciuilis Papiriani* hiſtoriam tradiderunt, ſed quaedam tantummodo eius capita & breuius quidem, quam ſatis erat, attigerunt, eaque ſine ordine, partim

magis

magis in eruendis legibus regiis ipſis, quam in hiſtoria collectionis earum, a PAPIRIO ordinatae, indaganda verſati ſunt, partim denique coniecturis multa attulerunt, ſpecioſa quidem illa, ſed ſi accuratius examinentur, fundamento omni deſtituta, multaque reliquerunt vlteriori disquiſitione digna, vti ex iis plenius cognoſces, quae in ipſo hoc noſtro libello habes. Vt vero Tibi conſtet, quam rationem in adornanda hac *Iuris Ciuilis Papiriani* hiſtoria ſequutus ſim, eum me tenuiſſe curſum, ſcias. Quum turbae, quibus respublica Romana PAPIRII tempore implicata erat, miſerrimaque conditio, in quam detruſa erat TARQVINII tyrannide iurisprudentia, cauſſa fuerint, qua commotus hic Pontifex Maximus in colligendis Regum Romanorum legibus operam ſuam collocandam putaverit, viſum eſt, id quod ab omnibus

 huc-

hucusque praetermiſſum animaduerti, breuem triſtiſſimi illius Reipublicae Romanae ſtatus notitiam praemittere, & quidem non tantum eius, qui regnante SVPERBO, ſed &, qui eo exacto ſub primis conſulibus fuit, ſub quibus PAPIRIVS ſuae legum collectioni concinnandae incubuit. DIONYSIVS, LIVIVSque praecipui hic mihi fuerunt auctores, ſed ceteros tamen rei Romanae ſcriptores non prorſus neglexi. Praemiſſo ſtatu publico docui, paullo quidem aliter, ac vulgo, ſed euidenter tamen docui, PAPIRIVM regibus exactis, quum respublica libertati reddita, reddenda quoque eſſet legibus, quarum memoriam tum vetuſtas tum TARQVINII tyrannis aboleuerat omnem, primum leges NVMAE ſacras reuocaſſe in vſum, moxque ſe contuliſſe ad integram legum, a Regibus latarum, collectionem con-

conficiendam, in vſum quidem Magiſtratuum praecipue, plebis tamen etiam, quae *Ius Ciuile Papirianum* appellata eſt. Et hac quidem occaſione, qua opportuniorem non cernebam, luculentiſſimis demonſtraui argumentis, id, quod de PAPIRIO DIONYSIVS memoriae prodidit, neutiquam, vt putant ICtorum plerique noſtrae quoque aetatis celeberrimi, de noſtro *Iure Ciuili Papiriano* intelligenda eſſe, ſed potius de reſtauratione illarum tabularum, quibus inſcriptas leges NVMAE ſacras ex commentariis eius publice in foro propoſuerat Rex ANCVS MARCIVS, quas, cum roboreae fuerint, tabida conſumſerat vetuſtas. Habes, quae *Sectio prima* contineat, iam cognoſce de ceteris. *Ius Ciuile Papirianum*, incredibile fere dictu eſt, quot quantasque Viros inter doctos genuerit controuerſias, enumeratione potiorum or-

ditur *Sectio altera*, & quum harum dissensionum caussam eruditis praebuerint POMPONII DIONYSIIque de PAPIRIO narrationes, quas conciliare non potuerunt, exhibenda nunc erant ipsa illa duo egregia venerandae antiquitatis monumenta, contemplandae cruces, quas fixerint doctis, quasque in eluctandis iis posuerint, curae. Medelas, quas dissensioni attulerunt, quam inter POMPONIVM & DIONYSIVM adesse hic statuunt, variasque, quas iniecrunt, vias, vt hosce Scriptores ad concordiam reducant, perpendi, examinavi omnes, sed nulla arrisit, omnes explosi. Praecipue duas impugnaui doctorum sententias hucusque celeberrimas, altera eorum est, qui, vt dissensus tollatur, duos diuersos esse PAPIRIOS, animo sibi fingunt, de quibus POMPONIVS atque DIONYSIVS differant, qui diuersa aetate vixerint, di-

ver-

verſaque prorſus ratione atque conſilio bene meriti ſint de reſtituendis Regum Romanorum legibus. Principem huius ſententiae CVIACIVM inueni, ſed multos adſtipulatores nactus eſt, ICtos noſtrae quoque aetatis, omnino illuſtres: altera RITTERI eſt, qui in hiſtoria *Iuris Papiriani* DIONYSIVM vnice ſequendum ratus, POMPONII fragmento, vtpote valde ex eius ſententia interpolato, foedaque Epitomatoris indocti ignorantia maculato, omnem fidem denegandam putauit. Hic Vir, vti decus erat iurisprudentiae elegantioris, quid mirum, quod tot in ſuam ſententiam pellexerit, ICtos quoque elegantes. Verum enim vero eundem eſſe PAPIRIVM, de quo ambo Scriptores loquantur, euici, neque POMPONII fidei aliquid detrahendum, docui, potius fragmentum eius, ceu vnicum hiſtoriae *Iuris Ciuilis Papiriani*

fon-

fontem ſequendum eſſe oſtendi, ſimul Epitomatorem eius, quisquis ille fuerit, ab iniquis his criminationibus liberare adniſus. Cauſſa POMPONII ſic perorata in *tertia Sectione* ſingula hiſtoriae *Iuris Ciuilis Papiriani* capita curatius iam perſcrutanda reſumſi, primumque de eius *auctore* egi, PAPIRIO ipſo, cuius de gente, praenomine, atque aetate, ſi ſcire quaedam tua intereſt, inuenies. Varias doctorum virorum ſententias, criſesque, in POMPONII fragmento hic tentatas, in medium produxi, expendi omnes, ſed repudiaui. Disquiſiui tunc *Sectione quarta* tempus, quo lucem aſpexit PAPIRII collectio, atque, cur *Ius Ciuile Papirianum* ſit appellata, indagaui, ſimulque publica eam auctoritate compilatam fuiſſe, negaui. Iam inſtitutae tractationis ratio & ordo poſtulabat, vt in ipſa inquirerem *Iuris Ciuilis Papiriani* contenta, indeque in

Sectio-

Sectione quinta data opera quaestionem tractaui, quorum Regum leges PAPIRIVS libro suo inseruerit? num omnes omnium Regum, an sacras tantum Numae leges? atque hic inprimis id egi, vt discussis debita modestia Clarissimi RITTERI argumentis, qui *Ius Papirianum* sacrum & Pontificium fuisse sibi persuasit, cuius Viri sententiam, quasi ex tripode dictam arripuerunt bene multi, iique celeberrimi omnino aetatis nostrae ICti, inuictissimis probatum iuerim argumentis, *Ius* nostrum *Ciuile Papirianum* neutiquam, quod putant, sacras tantum NVMAE leges, sed omnes omnino, quas Romanorum Reges a ROMVLO ad SERVIVM VSque TVLLIVM tulerunt, leges, tam sacras quam ciuiles comprehendisse; propositisque quibusdam de ordine, in legibus collocandis a PAPIRIO seruato, coniecturis, filum *Sectionis* huius

ab-

abrupi. Expoſita ſic *Iuris Ciuilis Papiriani* origine indoleque, tandem in *Sectione poſtrema* breuiter adhuc in fata, quae illud expertum eſt, inquiſiui. Non ego quidem diffiteor, deficientibus idoneis hac in re teſtimoniis nihil certi conſtitui poſſe, periculum tamen feci, anne coniectura ſaltim probabili quid aſſequi poſſit, hacque diſquiſitione operi huic faſtigium impoſui. Apud animum quidem ſtatueram, fragmentis quoque, quae ex GRANII FLACCI *de Iure Papiriano* commentariis tanquam fractae ſuperſunt e naufragio tabulae, in §pho Sectionis huius vltimo nouam aliquam affundere lucem, immo vero id etiam promiſi in not. 4. *§phi* XXXIII. ſed nimis anguſti, quibus incluſus, temporis cancelli, variaeque res aliae, ab hoc iterum conſilio me auerterunt, quodſi tamen intellexero, hoc leuidenſe opuſculum doctis homini-

minibus non prorſus improbari, oblata mihi proxima occaſione efficiam, vt fidem datam liberare poſſim. Sed haec quidem hactenus de noſtro libello. Adieci quoque MOLLENBECII *de Iure Papiriano* diſputationem, cuius quidem, admodum rarae, diuque fruſtra quaeſitae, copiam mihi fecit Vir Illuſtris ac Conſultiſſimus BRÜCKNER, Scabinatus Regii Halenſis Aſſeſſor longe celeberrimus, cui Viro non poſſum non maximas hoc loco gratias agere. Fateor quidem, huic diſputationi ineſſe parum, quod ad hiſtoriam *Iuris Papiriani* pertineat, quum magis in eruenda reipublicae Rom. forma ſub Regibus legibusque eorum recenſendis immoratus ſit MOLLENBECIVS, quam in ipſa collectionis earum, a PAPIRIO concinnatae, hiſtoria perſcrutanda ſeriam atque aſſiduam operam collocauerit; quoniam tamen a multis

huc-

hucusque frustra, quod sciam, est desiderata, horum suasu eam opusculo meo adiicere, non dubitaui.

Haec fere sunt, quae de ratione, quam in opusculo meo sequutus sum, scire Te volui, B. Lector, quod si quae aut perperam posita, aut forsan omissa Tibi videantur, spero, me in re tam impedita, densissimisque inuoluta tenebris, & opinionum varietate intricata, facillimam esse apud Te habiturum excusationem. Scrib. Halae d. XIV. April. cIↃ IↃ CCLXXX.

CON-

CONSPECTVS OPVSCVLI.

Sectio I.

POM-

§. XXI.

DE

IVRE CIVILI PAPIRIANO

LIBER SINGVLARIS

SECTIO I.

§. I.

Status reipublicae Romanae Papirii tempore.
a) *regnante* TARQVINIO SVPERBO.

Quum in hiſtoria legum rationes earum atque occaſiones ex Statu plerumque Imperii publico, qui fuit tunc temporis, quo conditae ſunt ſanctiones, hauriendae ſint; pertexturo mihi *Iuris ciuilis Papiriani* hiſtoriam viſum eſt ante omnia, impolito quamuis ac rudi penicillo leuiter adumbrare Statum Romae publicum, qui tempore PAPIRII fuit, praecipue tunc, quum Pontifex ille in redi-

gendis in vnum corpus legibus Romanorum regiis operam ſuam collocaret [1]). Ex hoc enim, collectionis huius quae fuerit ratio, quidque illius condendae dederit occaſionem, aliqua, credo, aſſequi poterit coniectura. Incidit autem PAPIRII aetas in illa reipublicae Romanae tempora, vbi ſtatus rerum erat maxime turbidus, multisque ac grauibus & variis cum malis respublica colluctabatur. L. enim TARQVINIVS, qui neque populi iuſſu, neque auctoribus Patribus, ſed armis & parricidis manibus regiam inuaſerat ſedem, contempta plebe, contemptis patriciis, ſublatis legibus, moribusque confuſis, & omni patria diſciplina corrupta, qua ciuitas ſub deceſſoribus eius floruerat, regnum in manifeſtam verterat tyrannidem. Conſcius, male quaerendi regni a ſe ipſo aduerſus ſe exemplum forſan capi poſſe, armatis corpus circumſepſit, hocque audaciſſimorum hominum ſatellitio ſemper ſtipatus,

1) Lectori heic ſemel dixiſſe ſufficiat, me in enarranda hac ſtatus Romae publici hiſtoria DIONYSIVM HALICARNASS. *Antiq. Rom. Lib. IV. p.* 244 vsque ad finem & *Lib. V. initio* vsque ad *p. 290.* edit. *Frid* SYLBVRGI *Lipſ. 1691.* edit. vero *Io. Iac.* REISKII *Vol II. p 745* vsque ad *p. 883.* (Lipſ. 1774.) & LIVIVM PATAV. *Hiſtor. Lib. I. c. 49.* vsque ad finem & *Lib. II. c. 1.* vsque ad *c.* 7. ſecutum eſſe.

tus, raro tantum nec ſtatis temporibus in publicum prodibat, ſed quaſi ex improuiſo. Negotia publica domi plerumque tractabat cum intimis, pauca in foro: nec admittebantur, qui vellent, niſi vocati ab ipſo: ac ne his quidem benignum & mitem ſe praebuit, ſed more tyrannico iracundum ac grauem, vultu ad terrorem magis, quam hilaritatem compoſito. Controuerſias quoque litium non ex iure & legibus dirimebat, ſed ex ingenio ſuo, & moribus, quae facta *Superbi* cognomen illi indiderunt. Eo accedebat, vt in caritate ciuium nihil ſpei reponenti, metu regnum tutandum eſſet: quem vt pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum, ſine conſiliis, per ſe ſolus exercebat, Patrumque primores, quos vel alieno a ſe animo eſſe ſentiebat, rebusque SERVII fauiſſe credebat, vel quibus hanc rerum mutationem moleſtam eſſe arbitrabatur, praecipue vero eos, qui affluebant diuitiis, a quibus — integris vitae, ſcelerisque puris — nihil aliud, quam praedam ſperare poſſet, occidebat, in exilium agebat, bonisque multabat [2]). Quapropter

 multi

2) Diſſentit hic CICERO *Philipp. III. 4.* Sed diſſentiat ſane! *quoniam quidem*, vt ATTICVS apud Eun-

multi ex principalibus viris, antequam iniquis iudiciis oppressi rei peragerentur; cognita insidiarum caussa, sponte vrbem tyranno relinquebant, multi autem, iique non contemnendi viri, impio scelere, in suis ipsorum aedibus correpti, sine omni cognitione clam necabantur, ne quidem auditi. Ita Patrum praecipue numero imminuto, statuit, nullos in Patres legere; quo contemptior paucitate ipsa Ordo esset: minusque, per se nihil agi, indignarentur. Hic enim Regum primus traditum a prioribus morem, de omnibus Senatum consulendi soluit, domesticis consiliis rempublicam administrans. At enim vero non solis patriciis grauis erat TARQVINII tyrannis, grauior adhuc plebeiis. Nam & his quoque, quamuis antea Patrum infortunio stulte in sinu

Eundem in BRVTO c. XI. inquit, *concessum est rhetoribus ementiri in historiis, vt aliquid dicere possint argutius*. Fortasse in hanc comparationem, quam inter pessimos ciues in cit. Oratione instituerat TVLLIVS vnice quadrat, quod Ipse in *Orat. pro Cluentio c. 59.* ait: *Errat vehementer, si quis in orationibus nostris, quas in iudiciis habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Omnes enim illae orationes caussarum & temporum sunt, non hominum ipsorum & patronorum* Confer hic *Io. Guil.* BERGERI diss. duas *de fide oratoria in argumento rei gestae. Vit. 1710.*

nu gauderent, eosque iuſta pati exiſtimarent, quaſi, illis ſolis tyrannide preſſis, nullum ſibi inde impenderet periculum, non multo tamen poſt mala acciderunt longe grauiora. Leges enim a TVLLIO latas, ex quibus aequo iure inter ſe ciues diſceptabant [3]), nec ſinebant, vt ante, plebeios a patriciis detrimento affici in contractibus [4])

 omnes

3) Confer hic alium eiusdem DIONYSII locum in in *Lib. IV. c 9.* pag. 659. *ed. Reisk.* pag. 215. autem *ed. Sylb*

4) Noſtro eodem enim DIONYSIO teſte Lib. IV. c. 13. (*ed. Reisk* Vol. II. p. 668. *ed Sylb* vero p. 218.) SERVIVS TVLLIVS, ſimul atque imperium erat adeptus, leges *de Contractibus & iniuriis* tulit, numero *quinquaginta*, quas curiatis comitiis ratas fecit. Quibus quidem ſingulis quamquam ad hunc vsque diem, quid fuerit ſancitum, a Viris Doctis nondum eſt erutum, — O DIONYSI! DIONYSI!

quae te dementia cepit?

quod mentionem earum facere non eſſe opus putaueris — placet tamen *Ioan. Gottl.* MÜLLERI Viri Iureconſultiſſimi coniectura, qui in *Vindiciis contractus aeſtimatorii ſecundum eos, qui in nominatorum numerum aſſerunt, tentatis.* Lipſiae 1778. p. 10. ſolide demonſtrauit, nobiliſſimas illas SERVII TVLLII *de Contractibus* leges in fauorem plebis obaeratae praecipue latas fuiſſe, mutuatitiaeque pecuniae commercium in primis attigiſſe videri. Conſtat enim ex DIONYSIO *Lib. IV. c. 9.* p. 658. *c. 11.* p. 663. & *c. 43.* p. 750. (*ed. Reisk.* aſt p. 215. 217. & 245. *ed. Sylb.*) ante Cenſum, ſapien-

omnes ſuſtulit: ac ne tabulas quidem, quibus inciſae, reliquit, ſed & has ex foro ſummoueri iuſſas, aboleuit. Deinde antiquata tributorum, pro facultatum cuiusque ſuarum cenſu, in publicum conferendorum lege priſtinum morem in rempublicam reuocauit, &, quoties pecunia illi opus erat, tantum pauperrimus quisque, quantum diues, conferebat, id quod vehementer exhauſit plebeiam multitudinem. Praeterea coetus omnes

ſapientiſſimo conſilio a Servio inſtitutum, omnia tributa, in publicum conferenda, fuiſſe aequalia; nemine, ſiue diues eſſet, ſiue egenus, plus conferente, quam altero. Quodſi itaque plebeii cuiusdam bona, — plerisque enim res anguſta domi — non ſufficerent, ad aerario ſatisfaciendum, eum ab aliis locupletioribus, Patriciis nempe, inprimis foeneratoribus, erogare, mutuoque ſumere, quod deerat, opus habuiſſe, per ſe patet. Sed hi erant, vti opulentiſſimi, ita, quod ſaepiſſime inuenimus vnitum, maiora etiam in dies corradendi auidiſſimi, nec attenti modo in rem quisque ſuam, ſed adeo potius acerbi atque crudeles, vt, vbi veniente die, ſibi non ſatisfieret, non contenti cum bonis integris, quae debitores ſui ipſis ceſſerant, ſeruiliter in ipſa corpora eorum libera ſaeuire, in vincula abducere, & multa variaque crudeliter facta in eos committere non erubeſcerent. Horum igitur foeneratorum, qui omnes e Patribus erant, in nexos libidini ac ſaeuitiae Seruii Tullii temporibus magis magisque inualeſcenti, vt

nes paganorum & curialium & vicinorum, vel in vrbe vel in agris antea ſacrorum cauſſa fieri ſolitos, [5]) vno edicto in poſterum vetuit, ſuſtulitque comitia, ſuffragiaque & conciones, quae de rebus publicis haberi ſolebant [6]), ne multis, vnum in locum coëuntibus, occulta de euertenda tyrannide inirentur conſilia. Nec ſatis illi fuit, his ſolis malis vexare plebem; ſed ſelectis etiam ex tota multitudine iis, qui ipſi fidi, & ad bel-

vt iuſtos quaſi terminos poneret, has *L. de Contractibus & iniuriis* leges proponendas putauit TVLLIVS. Caue tamen putes, callidiſſimum Servium, coeco tantum in plebeios amore ductum, has leges tuliſſe; minime! magnum potius hic ſuberat σόφισμα πολιτικὸν, nihil enim magis Seruius his & ſimilibus factis ſpectabat, quam vt, plebeiorum animis his artibus ſibi conciliatis, eorundem opera & fauore feliciſſimè vteretur, ad retinendum confirmandumque ſibi imperium, quod Patricii, contra ius fasque a ſe occupatum affirmantes, — capeſſerat enim rempublicam vt tutor nepotum praedeceſſoris ſui, — clam ei detractum vehementer cupiebant, ſicuti idem DIONYSIVS noſter *L. b IV. c 8.* in fine, *c. 9. & 10.* (p. 654 ſeqq. *ed Reisk.* p. 213. in fine & ſeqq. autem *edit. Sylb.*) haecce arcana nobis prodidit.

5) De Coetibus his paganorum curialium & vicinorum, ſacrorum cauſſa fieri ſolitis, confer DIONYSIVM *Lib. II. p. 93. Lib. IV. p 219.* & 220. *edit. Sylburg.*

6) DIONYSIVS *Lib. IV. c. 81* (p. 830. in fine & ſeq. *edit. Reisk.* p. 273. vero *edit. Sylb.*)

licos vſus idonei erant, reliquos cogebat ad perficienda opera publica; ratus, nihil eſſe Principum potentiae periculoſius, quam ſi praua & egena ciuium turba ociaretur. Cupiens itaque opera ſemiperfecta, ab auo [7]) relicta, in principatu ſuo abſoluere; cloacas nimirum, quas egerendae colluuiei ille fodere coeperat, vsque ad Tiberim perducere; & circum amphitheatralem, qui nihil praeter gradus habebat, circumdare porticibus tectis; ad omnes hosce labores pauperum abutebatur corporibus, haud ſecus ac mancipiorum emptitiorum, cogens eos, lapides & materiam caedere, humeris onera ferre, inque foſſis ſubterraneis atque cauernis fodiendis corpora conſumere, ne minima quidem conceſſa laborum requiete, datôque inſuper frumento tantum modico, exiguisque cibariis. Republica itaque hisce procellis iactata, ſoli lunaeque ſuas narrabant miſerias ciues; ſed fruſtra! in praeſenti rerum ſtatu acquieſcere cogebantur, quod vires non ſuppeterent, ad impedienda, quae agebantur. Patricii vero, has plebeiorum calamitates intuentes, viciſſim gaudebant, ſuorumque malorum obliuiſcebantur.

§. II.

7) DIONYSIVS *Lib. III.* pag. 200. *edit. Sylburg.*

§. II.

b) *Roma a Tyranno liberata, eiusque ſtatus publicus ſub primis Conſulibus. Plebi reſtituta iura, ſacraque.*

Tam foeda in ſeruitute iam per ipſos XXV annos ſuſpirabat victor orbis terrarum populus, dum ſubito violata vnius caſtae LVCRETIAE pudicitia, quam SEXTVS filiorum TARQVINII natu maximus violenter ſtuprarat, homini cuidam, cui affectata morum fatuitas geſtuumque ludicra deliramenta *Bruti* cognomen indiderant, praeter omnium exſpectationem conſilium dat, vltrices TARQVINIO iniiciendi manus, quas tot facinora, quibus libertati reipublicae inſultabat regia libido, dudum meruiſſent. Erat is L. IVNIVS BRVTVS [8]). Tribunus Celerum, M. IVNII, viri antiquiſſimae originis, & inter nobiliſſimos Romanorum habiti filius, matre vero TARQVINIA editus, Priſci Tarquinii filia, ingenium praeſtans, omnique ingenuarum artium diſciplina egregie excultum, qui tamen, poſtquam TARQVINIVS patrem ipſius, opum amplarum virum, eiusque fratrem natu maiorem

 iorem

8) L. huius IVNII BRVTI vitam peculiari diſſertatione exhibuit *Chriſt. Lud.* CRELLIVS Lipſ. 1721.

iorem, in quo generoſum quendam animum emicare cernebat, clandeſtina morte de medio ſuſtuliſſet, non ob delictum forte quoddam, ſed ne qua priuatorum opulentia & poteſtas immineret imperio & libidini ſuae, omni cognatorum auxilio ſic deſtitutus, omnibusque bonis paternis ſpoliatus, ſimulatam morionis ſtultitiam induere, & quaſi obbruteſcere cogebatur, ne eadem, quae illi erant perpeſſi, mala experiretur. Is BRVTVS, Tyranno illo ipſo tempore in caſtris agente ad Ardeam, quam obſidebat, occaſionem, patriae a neſaria tyrannide vindicandae, iam dudum optatam & exſpectatam, nunc opportune ſibi oblatam arbitratus, in conſilii ſocietatem trahit TARQVINII cognatos, propter iniuriam Lucretiae illatam exulceratos, eiusque caedem deflentes vel maxime. Depoſita, quam per XXV annos caute geſtauerat, fatui perſona, Quiritibus excuſat priſtinum ingenium, concitat patricios, concitat plebem, factaque ita vtrimque coniuratione omnes curiae ſingulaeque centuriae Tarquinium regno pelli, peſtemque hanc patriae nefarie molientem cum coniuge ſcelerata omnique ſua nefaria progenie perpetuo Roma atque totius imperii Romani finibus exſulare, ſuffragiis ſuis iubent.

iubent. Inſtaurata igitur patriae libertate, de noua reipublicae forma iam conſiderantibus, regium imperium non amplius placuit, ſed, BRVTO ſuadente, duobus viris annuum magiſtratum cum regia poteſtate committunt, quos *Conſules* dicunt, BRVTVMque & L. TARQVINIVM COLLATINVM — miſerae Lucretiae virum — a SPVRIO LVCRETIO Interrege electos, centuriatim creant Conſules. BRVTVS [9]) non acrior vindex libertatis, quam cuſtos, omnium primum auidum nouae libertatis populum, poſteaquam ex caſtris reuertiſſet in vrbem, atque induciae cum Ardeatibus factae, ne poſtmodum flecti precibus aut donis regiis poſſet, iureiurando adigit, neminem Romae paſſuros regnare. Rerum deinde diuinarum habita cura, & quia quaedam publica ſacra per ipſos reges factitata erant, regem creant ſacrificulum, vt ſaltim, quantisper vrbs ſtaret, nomen eorum conſeruaretur, quibus tam multa egregie inſtituta accepta referebat respublica. Iubent, vt praeter cultus diuini curam muneri praeeſſet nulli, idque ſacerdotium pontifici ſubiiciunt, ne

9) Hic confer DIONYS. *Lib. V. cap. II. ſeqq.* p. 846. *ed. Reisk.* p. 277. ſeqq. vero *ed. Sylb.* & LIVIVM *Lib. II. c. 1.* ſeqq.

ne additus nomini honos aliquid libertati, cuius tunc prima erat cura, officeret. Pontifices & augures designant *Manium* PAPIRIVM, virum patricium, quietis amantissimum, qui primus hanc dignitatem Romae adeptus est. His rebus ita constitutis, hi duo libertatis Romanae vindices, veriti forsan, ne falsam vulgus de noua hac reip. forma conciperet opinionem, quasi duobus Consulibus creatis, pro vno iam duos haberent reges, quia vtrique Consuli, vt antea Regibus, duodecim secures praeferebantur, nihil sibi prius nihil antiquius ducunt, quam vt terrorem hunc plebi eximerent, nouaeque illius potestatis minuerent inuidiam. Quam ob rem non tantum instituerunt, vt alteri Consulum duodecim secures praeferrentur, alteri vero duodecim lictores cum solis fascibus praeirent, ita vt Consul vterque per integrum mensem secures alternatim haberet; sed etiam leges de contractibus a TVLLIO latas, humanas admodum & populares, quas omnes TARQVINIVS sustulerat, reuocarunt in vsum, vt quasi plebeiorum essent contra patriciorum crudelitatem tutelares, quorum omnino potentiam, iam tum enitescentem, & quasi radices agentem egregie moderatus est SER-

VIVS

VIVS [10]). Sacrificia etiam, quae tam in vrbe, quam in agris communiter ab vrbanis &

10) DIONYSIVS *Lib. IV. c. 25. p. 700. ed Reisk* p. 228. vero in fine *ed. Sylb* V. C. *Io. Gottl.* MÜLLERVS tamen in supra laudatis *Vindiciis* p. XI. hariolatur, vere Consules illos in Legibus his TVLLII *de Contractibus* reuocandis nubem tantum plebeculae offudisse, vt in duobus Coss. regia potestate creatis, acquiesceret, censendos esse. „Profecto enim, inquit, si serio voluissent, vt illis „staretur, inter prima mala, quibuscum colluctatam esse scimus rempublicam romanam, foeneratorum inter Patricios truculenta auaritia, „TVLLII tamen legibus grauissime coercita, non „extitisset (V. NEVHAVS *ad L. Perilliam* § 2.) „nec plebs Romana XVI. statim annis post exutum Regum iugum secedere in Auentinum „fuisset coacta.„ Verum enim vero quamuis Patres cum plebe non veram sed simulatam affectasse concordiam, lubenter crediderim, irritosque TARQVINII ad regnum recuperandum conatus, bella ab eo gesta, & metum, ne forte inuitos patres plebs recipere regem cogeret, praecipue effecisse, vt plebis studia summa lenitate humanitateque captarent; nam temporum illorum historia docet, obitu Tarquinii Romae nunciato, cum metu eius reditus simul etiam paulatim euanuisse concordiam, plebi, cui ad eum diem summa opera inseruitum erat, iniurias fieri coeptas (LIVIVS *II 21*) Patresque in plebem, propter aes alienum admodum nexam, tam crudeliter saeuisse, vt ne per auream quidem illam Romanorum Δωδεκαδέλτῳ morbo huic publico medicina parari potuerit praesentissima. V. *I. W.* NEVHAVSII *diss. laud.* §. *VIII.* seqq. &

Io.

& paganis, in vnum conuenientibus fieri ſolebant, inſtaurari iuſſerunt, eodem modo, quo TVLLIO regnante fiebant: & comitiorum de rebus maximis habendorum, ſuffragiorumque ferendorum, & aliorum, quaecunque ante facere conſueuerant, faciendorum poteſtatem illis reſtituerunt. Quo quidem effecerunt id, vt plebs non tantum in praeſenti rerum ſtatu lubenter acquieſceret, ſed etiam e diuturna ſeruitute in libertatem non ſperatam perueniſſe maxime laetaretur.

§. III.

Tarquiniorum machinationes. Coniuratio vrbana. BRVTI *in liberos & collegam aſperitas.* COLLATINI *abdicatio. Bellum.*

Sed parum abfuit, quin per dolum ac proditionem prope libertas amiſſa iterum fuiſſet. Erant [11]) in Romana iuuentute adoleſcentes aliquot, nec ii tenui loco orti, quorum in regno libido ſolutior fuerat, aequales

Io. TAYLORI Comm. *ad L. Decemuiralem de inope debitore in partes diſſecando.* Cantabrigiae 1742. certum tamen eſt, non tantum primos libertatis Romanae inſtauratores, ſed & Conſules proxime ſequentes Leges has TVLLII reuocatas exacte ſerioque ſeruaſſe.

11) Vide LIVIVM *Lib. II. c. 3 ſeqq.* & DIONYSIVM *Lib. V. c. 2 ſeqq. p. 848 ſeqq. ed. Reisk. p. 279 ſeqq.* vero *edit. Sylb.*

les ſodalesque adoleſcentium Tarquiniorum; aſſueti more regio viuere. Hi, aequato nunc omnium iure, priſtinam illam licentiam quaerentes, libertatem aliorum in ſuam vertiſſe ſeruitutem inter ſe conquerebantur. *Regem hominem eſſe, a quo impetres, vbi ius, vbi iniuria opus ſit: eſſe gratiae locum, eſſe beneficio; & iraſci & ignoſcere poſſe: inter amicum atque inimicum diſcrimen noſſe. Leges, rem ſurdam, inexorabilem eſſe, ſalubriorem melioremque inopi quam potenti: nihil laxamenti nec veniae habere, ſi modum exceſſeris: periculoſum eſſe, in tot humanis erroribus ſola innocentia viuere.* Ita, iam ſua ſponte aegris animis, legati ab exſule rege ſuperueniunt ex vrbe Etruſca, in quam ſe receperat tyrannus cum filiis, petentes ei congrediendi cum Romanis, iisque reddendae rationis omnium, quae toto regni tempore geſſerit, copiam, hacque denegata, bona regis tantum repetentes. Eorum verba poſtquam in Senatu audita ſunt, per aliquot dies ea conſultatio tenuit, an bona retinenda, an reſtituenda ſint exſuli, ne, non reddita, belli cauſſa, reddita, belli materia & adiumentum eſſent. Interim legati moliuntur in vrbe, quae mandarat TARQVINIVS, clam recuperandi regni conſilia ſtruentes,

cre-

niſtris ex cubiculo exire, vbi conuiuium fuerat celebratum, multa inter ſe de nouo, vt fit, conſilio egiſſent, quaeque viſa erant, manu propria retuliſſent in litteras, quas dederant legatis, TARQVINIO reddendas; ſermonem eorum ex ſeruis vnus excipit, cui *Vindici* nomen; Is ex eo, quod illi miniſtros remouiſſent, aliquid mali adoleſcentes moliri ſuſpicatus, ſolus foris ad ianuam reſtiterat, litterasque ab omnibus ſcribi videt, ad quandam oſtii commiſſuram perſpicuam admoto oculo. Deteſtatus nefarium facinus, animo vltra ſeruile ingenium erecto, illico nocte adhuc intempeſta ad *P.* VALERIVM defert perdidiſſimum conſilium, qui vnus erat de quatuor primis tyrannidis euerſoribus, ad conſules ipſos ire non audet, veritus, ne propter cognationem rem celare volentes, coniurationis indicem de medio tollerent. Ille vero hac re cognita confeſtim cum magna clientum & amicorum manu ad deprehendendos legatos coniuratosque domo profectus, ad Aquiliorum aedes venit appetente iam die, & fores ſine tumultu ingreſſus, quaſi eo aliud quidpiam acturus veniſſet, coniuratis nondum digreſſis, nemine prohibente, potitur litteris, ipſosque comprehenſos ad conſules ducit. Hi proditores

ditores extemplo in vincula coniiciunt, de legatis paullulum addubitatum eſt; & quanquam viſi ſunt commiſiſſe, vt hoſtium loco eſſent, ius tamen gentium valuit. Simulatque dies illuxit, aſcendunt in tribunal. Liberorum nepotumque amor, fortiſſimum humanae mentis vinculum, & cura patriae luctabantur in animis conſulum. Sed BRVTVS, quo generoſior libertatis auctor & recuperator, tanto violatae ſeuerior nunc erat vindex. Litteras coniuratorum recitari a ſcriba iubet, & filiorum quidem primum. Dat iis dicendi copiam, ſed neuter audet, flebat vterque. Mirum quantum ſuſpenſi nunc expectatione rei animi ciuium. Tandem BRVTVS paulum cunctatus ſurgit, capitisque ſententiam de filiis dicit. Vndique reclamant, indignum iudicantes, talem virum mulctari filiis, vitamque adoleſcentulorum donare patri volunt. Sed nec ciuium clamore ac precibus, nec eiulatibus filiorum vocibusque blandiſſimis flexus, abduci eos a lictoribus iubet, ad ſumendum ſupplicium, conſpectius eo, quod, qui ſpectator erat amouendus, eum ipſum fortuna exactorem ſupplicii dederit. Stabant ad palum deligati nobiliſſimi iuuenes, lictores nudatos virgis caedunt, ſecurique feriunt: quum inter

omne tempus pater, vultusque & os eius ſpectaculo eſſet; eminente animo patrio inter publicae poenae miniſterium. Plus [15]) negotii BRVTO faceſſebant *Aquilii* ſororis collegae filii, apud quos coniurati conuenire ſoliti. Quos cum & ipſos ad ſupplicium duci iuberet, & iam lictor iniiceret manus, COLLATINVS precibus primum, iisque nihil loci penes collegam relictis, conſulari, qua pollebat, maieſtate eripere ſupplicio audet nepotes patriae proditores. Cum incenſi animis conſules, ille libertate, hic ſuorum cura, vtroque efficaci ad humanum ingenium ſtimulo, atrocius depugnarent, poſcebat populus calculos, in Collatinum exaſperatus vel maxime. Sit, quod ſuos praetulerit patriae; ſed ſi vel nihil aliud offenderit, iam nomen eius inuiſum ciuitati fuit. *Nimium Tarquinios regno aſſueſſe. Neſcire priuatos viuere. Non placere nomen. Periculoſum libertati eſſe.* Hic erat ſermo, per totam ciuitatem datus, iam publice populo nouis coloribus a BRVTO propoſitus. Et quid iam aliud COLLATINO ſperandum de centuriis, neque defenſionem eius, neque preces admittentibus? niſi Magiſtratu patriaque pelli, cum amiſſione bonorum, additaque

15) DIONYSIVS *Lib. V. p. 283 ſeqq.*

que forſan alia inſuper ignominia. Hoc timens ſocer eius, *Sp.* LVCRETIVS, vir vti aetate ita & dignitate grauis, & apud populum gratioſus, ſtatim ante initum adhuc ſuffragium, a conſulibus petit dicendi veniam. Impetrat. Primum id erat exemplum, quod homo priuatus pro concione locutus eſt, antea inauditum. Monet COLLATINVM, ne cum iratis contenderet, neue magiſtratum retineret inuitis ciuibus, quem a volentibus accepiſſet; ſed ſi illis traditum repoſcere liberet, deponeret ſponte, alibique ſibi domicilium quaereret, & crimina ſic re potius quam verbis refelleret. Sed ſimul BRVTVM multis orat precibus, ne turpiter collegam pelleret vrbe, cum quo optima pro republica ceperit conſilia; ſed ſi imperium ille deponere vellet, & ſponte e patria excedere, omnes eum res ſuas per otium transportare ſineret, adderetque e publico donum, vt ſe in ſua calamitate munificentia populi conſolari poſſit. Placuit oratio plebi, mouitque COLLATINVM, vt, ne, quae ominabatur, acciderent, abdicaret ſe conſulatu; rebusque ſuis omnibus *Lauinium* translatis, BRVTOQUE auctore, viginti talentis ex aerario ei donatis, quibus & ipſe de ſuo alia quinque addiderat, ciuitate ceſſit, ſe-

 nio-

nioque confectus obiit. BRVTVS ex Senatusconſulto ad populum fert, vt omnes Tarquiniae gentis exules eſſent, &, ne in ſuſpicionem veniret, ſe forſan regni cupidine COLLATINVM expuliſſe patria, mox collegam ſibi comitiis centuriatis creat *P.* VALERIVM, ortum a Sabinorum gente, quo adiutore reges eiecerat. Is erat, vti ob multa alia rerum praeclararum ſtudia laude & admiratione dignus, ita praecipue etiam ob vitae frugalitatem. Cum hoc igitur per omnia conſentiens, continuo ſupplicium ſumpſit de iis omnibus, quotquot in exulum reditum coniurarunt, & vt in vtramque partem arcendis ſceleribus exemplum nobile eſſet, praemium ſeruo indici, pecunia ex aerario, libertas & ciuitas data eſt. *Deinde* quo plus virium in Senatu frequentia etiam ordinis faceret, caedibus regis deminutum Patrum numerum, primoribus equeſtris gradus lectis, ad trecentorum ſummam expleverunt, traditumque inde fertur, vt in Senatum vocarentur, qui patres quique conſcripti eſſent [16]). Lectos videlicet in nouum Sena-

16) Hic idem locus tractatur & apud FESTVM *Lib.* 15. ſed mendoſe, SIGONIVS eum ita integritati ſuae reſtituit. *Qui patres quique conſcripti, vocati ſunt in curiam, quo tempore regibus vrbe expulſis*

Senatum appellabant conſcriptos. *Tum* tyrannorum bona, quae reddi ante cenſuerant, ex SCto plebi diripienda dederunt, eorum etiam agrum, quem illi priuatim poſſederant, diuiſerunt ciuibus, agro carentibus; vno tantum campo excepto, qui inter vrbem ac Tiberim fuit, conſecratus *Marti*, quem vſurparat TARQVINIVS, & ſuis ſegetibus oppleuerat, quas, forte ibi tum maturas meſſi, quia religioſum erat, eas conſumere, deſectas cum ſtramento in flumen proiici ſuo decreto iuſſerunt. *Poſtremo* tandem ciuibus Romanis, qui cum tyranno profugerant, reditum in patriam cum impunitate & omnium praeteritorum delictorum obliuione conceſſerunt, praeſtituto viginti dierum ſpatio: intra quod ſi quis non rediiſſet, perpetuo exilio mulctaretur, bonaque eius in publicum redigerentur. Quae quidem inſtituta mirum quantum profuerunt ad concordiam ciuitatis alendam, iungendosque Patribus plebis animos, inprimis autem effecerunt id, vt, qui de bonis regiis partem, quantacunque fuerit, percepe-

 rant,

pulſis P. VALERIVS conſul propter inopiam patriciorum ex plebe adlegit in numerum ſenatorum centum ſexaginta & quatuor, vt expleret numerum trecentorum.

rant, ne iterum hac praeda ſpoliarentur, parati eſſent ad ſubeunda quaeuis pericula; vtque illi, qui ſibi conſcii erant alicuius facinoris ſub tyrannis patrati, quique veriti, ne poenas dare cogerentur, voluntario exilio ſe ipſi iam damnarant, illo metu liberati, non amplius tyrannis, ſed reipublicae fauerent, eiusque commodis ſtuderent. Sed rebus internis vix ita compoſitis, alia iterum reipublicae imminebant pericula malaque externa, ſed quae dudum praeceperant animo. TARQVINIVS [17]) enim, incenſus non dolore ſolum tantae ad irritum cadentis ſpei, ſed etiam odio iraque, poſtquam dolo viam obſeptam vidit, bellum aperte moliendum ratus, ex omnibus Hetruriae populis copias contra Romanos cogit. *Veientes* cum *Tarquinienſibus* contra rempublicam conſentiunt, a *Tarquiniis* ſolicitati. Illos priſcae Romanorum iniuriae, hos regum nomen & cognatio ad arma pellexerant. Pulchrum videbatur ſuos Romae regnare. Ita duo duarum ciuitatum exercitus, ad repetendum regnum, belloque perſequendos Romanos, ſecuti TARQVINIVM. BRVTVS, qui vrbe primus pepulerat Reges, vt & agro Romano

17) Vide hic DIONYSIVM *Lib. V. p. 288 ſeqq.* & LIVIVM *Lib. II. c. 6 ſeq.*

no prior eiiceret, obuiam ire cum ſuis decernit, priorque flumen traiicit, atque vlterius inde progreſſus caſtra ponit prope Hetruſcos in prato *Iunio* ad ſiluam ſacram heroi *Horato* [18]). Acerrima pugna committitur, varia quidem victoria, & velut aequo Marte, abiere tamen Romani vt victores, Etruſci pro victis, Veientes, vinci a Romano milite aſſueti, fuſi fugatique. Sed BRVTVS manu ARVNTIS TARQVINII cecidit, cecidit & ipſe.

§. IV.

PAPIRIVS, *Pontifex Maximus*, *legum* NVMAE *ſacrarum reſtaurator* primum, *iuſtaeque* deinde *&* *integrae legum regiarum collectionis ordinator.*

Hisce procellis agitabatur respublica regnante non ſolum SVPERBO, ſed eo adhuc exacto, dum viueret. Viuebat autem in hac funeſtiſſima temporum confuſione PAPIRIVS quidam, Pontifex Maximus. Ad quem cum, muneris ſui cauſſa, praecipue cura cuſtodiaque ſacrarum legum ſpectaret, ne quid diuini iuris, negligendo patrios ritus,

 tus,

18) Ita *Vaticani & Lapi Codd.* DIONYSII *Lib. V. p.* 288. edit. *Sylb. c.* 14. autem *p.* 878. edit. *Reisk.* Sed LIVIVS *Lib. II. c.* 7. Siluae *Arſiae* mentionem facit.

tus, peregrinosque afcifcendo, turbaretur [1]): videbat, tabulas illas, quibus infcriptas leges NVMAE facras ex commentariis illius in foro quibuslibet legendas propofuerat Rex ANCVS MARCIVS, vetuftate ita confumtas effe, vt vix legi a quopiam potuerint [2]). Perfcripferat nempe Rex NVMA, qui TACITO [3]) tefte, *religionibus inprimis & diuino iure populum deuinxit*, ea omnia, quae ad religiones, cerimoniasque pertinebant, & a facrorum munerum miniftris erant peragenda, octo libris, pro totidem facrorum claffibus, ab eo ordinatis [4]), quos afferuandos dederat collegio Pontificum, a fe inftituto, cuius fcitis facra omnia publica priuataque fubiecit [5]). Hosce facrorum commentarios Rex ANCVS MARCIVS, cum animaduertiffet, TVLLO HOSTILIO

1) LIVIVS *Lib. I. c. 20 fin.* cfr. quoque Ill. *v.* SCHIRACHS *Biographien des Plutarchs in* NVMA. Th. I. pag. 258. & *Io Andr.* BOSII Exerc. hiftor. I. *de Pontifice Maximo Romae vet.* Cap. IV. §. 2. adiecta EIVSDEM *Introduct in notit. fcriptor. ecclefiafticor. a Io. Georg* WALCHIO *Ienae 1723.* editae pag. 272.

2) DIONYSIVS *Antiquit. Rom. Lib. III. pag. 178. init.* (ed. Sylb.)

3) *Annal Lib. III c. 26. fin.*

4) DIONYSIVS *Lib. II. n. 93. pag. 124.*

5) LIVIVS *Lib. I. c. 20.*

STILIO imperante, neglectas vel maxime, praueque cultas esse religiones, quas auus suus maternus NVMA POMPILIVS sapienter [6]) instituisset, eas instaurare longe antiquissimum ratus; hos, inquam, regis commentarios, a pontificibus sumptos, in tabulas transscribere Pontificem Maximum [7]) easque proponere in publico iusserat ANCVS, videndas quibuslibet [8]). Verum hae tabulae, cum tantum roboreae essent, PAPIRII temporibus vetustate prorsus erant exoletae. Nondum enim columnae aeneae tum erant in vsu, sed in quernis tabulis incidebantur & leges, &, *quae de sacris propone-*

6) Ill. v. SCHIRACHS *Biographien des Plutarchs in* NVMA. Th. I. p. 253 seqq.

7) LIVIVS *Lib. I. c. 32.* vbi de ANCO MARCIO haec narrat: *longe antiquissimum ratus, sacra publica, vt ab* NVMA *instituta erant, facere; omnia ea ex commentariis regis* PONTIFICEM MAXIMVM, *in* ALBVM *relata, proponere in publico iubet.* Qui locus ideo rectius considerari meretur, quod *albi* mentio fiat in illo primum. Fuit autem *album* antiquissimis hisce temporibus non nisi *tabula querna, cui insculptae, aut incisae litterae* vti recte iam vidit Cel. RITTER *praefat. Tom. IV. Cod. Theodos. Gothofr.* & quidem, nigras olim in *albo* comparuisse literas, & *quernas tabulas* antiquitatem *albas* & *album* dixisse aptissime, cum cineritio sint colore, putauit.

8) DIONYSIVS *Lib. III.* pag. 178 *min.*

ponebantur, edicta [9]). Quam quidem ob rem, quum post reges exactos, Consules primi, rerum cumprimis diuinarum habita cura, plebi non tantum sacra restituissent, a TARQVINIO abolita [10]); sed etiam, ne vbiubi regum esset desiderium, regem creassent sacrorum, qui, pontifici maximo subiectus, sacra obiret publica, per ipsos reges olim factitata [11]), praecipue etiam suarum esse partium existimauit PAPIRIVS, has tabulas, leges NVMAE sacras continentes, vetustate abolitas, restituere, & quidem, quod verosimillimum omnino videtur, in aere [12]), vt

9) Sic verba DIONYSII *c. l.* *καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν διαγραφαί* interpretatus est etiam B. *I* G HEINECCIVS *in Histor. Edictorum Lib. I. c. 3. §. 3.* in EIVS *opusc postum.* p. 33.

10) DIONYSIVS *Lib V p. 278*

11) LIVIVS *Lib. II c. 2.* DIONYSIVS *Lib. IV p 269. init.*

12) DIONYSIVS quidem in loco saepe adducto nempe *Lib. III. Antiquit. Rom p. 178 init* an tabulae hae legum NVMAE sacrarum, a PAPIRIO propositae, aeneae fuerint, anne roboreae, tradit nihil; sed si in re adeo obscura, densissimisque inuoluta tenebris ariolari licet, credo equidem, eas fuisse aeneas, coniici posse ex verbis DIONYSII his: *Χάλκεαι γὰρ στῆλαι οὔπω τότε ἦσαν, ἀλλ' ἐν δρυΐναις ἐχαράττοντο σανίσιν οἵ τε νόμοι, καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν διαγραφαί.* cuilibet vel leuiter tantum hunc locum perlustranti, statim in oculos incurret, haec dici de ANCI MARCII temporibus;

vt nempe perennitati earum in posterum magis consuleret, & ita haec NVMAE instituta, hucusque quodammodo neglecta, denuo in vsum publicum hominumque memoriam reuocare [13]). Quam quidem potestatem

bus; Num itaque quaeso! errarem, si, PAPIRII temporibus Romanos leges suas in aes incidere consueuisse, quas Anci aetate roboreis adhuc tabulis (δρυΐναις σανίσιν) propositas affirmat DIONYSIVS, exinde colligerem? praesertim cum doceat historia foederis, a SERVIO TVLLIO cum latinis initi, cuius leges, ne temporum iniuria perirent, in tabula aenea perscriptas esse, DIONYSIVS quoque *Lib IV. n 171 p. 230.* (ed. Sylb.) auctor est, iam ante PAPIRII tempora Romanos non ignorasse artem, literas in aes incidendi.

13) DIONYSIVS *Lib. III pag 178 init.* Vides, me locum hunc DIONYSII famosum, & hac de re classicum non intellexisse, vt vulgo, de ipsa illa legum regiarum collectione, a PAPIRIO ordinata, & *ius ciuile Papirianum* appellata, sed de restauratione illarum tabularum, in quas Rex ANCVS MARCIVS sacra NVMAE instituta ex commentariis eius, Pontificibus relictis, transscripserat atque in foro proposuerat quibuslibet legendas, quas, cum roboreae fuerint, destruxerat inuidiosa vetustas. Vidit hoc idem iam ante me dudum Summus HEINECCIVS *Histor Edictorum Lib. I. c. 3. §. 6. in fin.* in Opusc. EIVS postumis a Celeb. ILLIVS Filio *I. C. G.* HEINECCIO *Hal. 1744.* editis *p. 37 seq.* vbi haec scripsit: *Eiectis* — *Regibus duo in vrbe* honorati *erant*, *qui edicerent: pontifices de rebus sacris*, *&* *consules de rebus bellicis*, *ciuilibus*, *&* *iure dicundo. Et ex illis quidem*

C. PA-

ſtatem habuiſſe PAPIRIVM noſtrum, nemo
ſane

C. PAPIRIVS *ſtatim poſt regifugium ampliſſimum edictum propoſuit, ex quo deinde* ius Papirianum *natum..* Suadet ſententiam noſtram tota orationis ſeries connexa, atque occaſio, qua ſibi data, *Papirianae* huius reſtitutionis mentionem fecit DIONYSIVS. Differens nempe Hiſtoricus *l. c.* de ANCO MARCIO, eiusque ſtudio, inſtaurandi neglectam, TVLLO HOSTILIO imperante, tum religionem tum agriculturam, haec narrat: ANCVM Regem, cum animaduertiſſet, negligi ſacra publica, quae ab NVMA inſtituta erant, plebemque Romanam, conuerſis ad bella & lucricupidinem animis, priſtinum abieciſſe agriculturae ſtudium; hunc ANCVM vocata, ſtatim ac regnare coepit, ad concilium multitudine, eam eſſe hortatum, vt, ſicut NVMAE temporibus factitasſent, deorum numina rurſum colerent; atque docuiſſe eam, a contemtis numinibus morbos, peſtilentias, aliasque calamitates innumeras vrbi immiſſas, quibus magna pars populi abſumta ſit; ipſumque HOSTILIVM, quod neglexiſſet religiones, diu multumque cum variis morbis conflictatum, poſtremo de ſtatu mentis ſuae deturbatum, miſerabili exitio cum tota familia periiſſe. Laudatis deinde NVMAE inſtitutis, vt pulchris & temperatis, quibus ex iuſtiſſimo quaeſtu quotidie victus abunde pararetur, admonuiſſe plebem, vt ad ea reuerterentur, ſtuderentque agriculturae ac rei pecuariae, ceterisque operibus, in quibus nulla rapinae aut violentiae eſſet iniuria; poſthabitis militiae commodis. Cumque his ac ſimilibus verbis omnium animos a bellis ad magnum quietis ſobriaeque induſtriae ſtudium perduxiſſet, cum conuocatis deinde pontifici-
bus,

ſane dubitabit, cui compertum eſt, pontifi-
cem

bus, ſumtos ab eis commentarios, quos NVMA de ſacris conſcriptos reliquerat, transſcripſiſſe in tabulas, easque in foro propoſuiſſe, legendas quibuslibet, quae tandem, cum roboreae fuerint, vetuſtate eſſent conſumtae. Iam hac occaſione, quam opportune forſan ſibi oblatam ſenſit Hiſtoricus noſter, pro more ſuo, antiquis iungere noua, quoties inſtituti ratio & argumenti ſimilitudo ita ferebat, (vide e. gr. *Lib. II. Antiq. Rom.* p. 96. 97. 98. quid? omnes fere paginae hanc obſeruationem meam confirmant) ſimul adnotandum putauit, has ANCI tabulas, quarum paullo ante mentionem fecerat, poſt Reges exactos rurſum in publicum vſum reuocatas eſſe per Pontificem Maximum C. PAPIRIVM. Iam ſi diuerſa ſunt, ſicuti ſunt, tabulas legum reſtituere, vetuſtate abolitas, cuiusmodi quid feciſſe PAPIRIVM, perhibeat tantum DIONYSIVS, & leges Regum Romanorum ſine ordine latas in vnum componere librum, haud equidem in doctorum virorum reprehenſionem incurrere credo, Hiſtoricum noſtrum de *iure ciuili Papiriano* neutiquam, vt vulgo, intelligens. Deinde vero inprimis coniecturam meam egregie adiuuat locus quidam SERVII, qui ad VIRGILII *Aen. Lib. XII. verſ. 836.* haec annotauit: *Patrium quod ait morem ritusque ſacrorum adiiciam, ipſo titulo* LEGIS PAPIRIAE *vſus eſt, quam ſciebat* de ritu Sacrorum *publicatam*; cuius quidem loci, ab omnibus praetermiſſi, qui legum Romanarum hiſtoriam ſcripſerunt, ſolum meminiſſe *Hermannum* CANNEGIETERVM reperi, cui Viro noſtra aetate facile celeberrimo, atque de iurisprudentia emendanda adeo promerito accedere

cem maximum habuisse ius, de sacris faciundis

dere nullus omnino dubito, in *Obseruat. Iuris Rom. Lib. I. c. 15. p. 101.* ita scribenti: *Existimo autem* LEGIS PAPIRIAE *nomine tabulas illas intelligi, quas Caius* PAPIRIVS *in publicum vsum reuocavit teste* DIONYSIO *l. 6. — quamuis autem* NVMA *harum legum & rituum sacrorum auctor fuerit*, PAPIRIA *tamen* LEGE *inducta dicuntur, quasi iterum renouata, atque in publicum vsum reuocata: ita saepius ius, ante ab aliis constitutum, ei tributum nouimus, qui obsoletum reduxit: vid.* BRVMMER de lege Cincia. *cap. 3.* HEINECCIVS Hist. Iur. *Lib. I. cap. 4. §. 217. not. **. p. 309.* Addo *H. G. van* VRYHOF *Obs. Iur. civ.* cap. 31. *S. H. van* IDSINGA *Var. Iur. Civ.* cap. 19. & *H.* NOORDKERCK in Disq. *de Lege Petron.*, c. 1. §. 4. pag. 18. qui multa de more illo & veterum ICtorum & Imperatorum proposuerunt exempla, quod saepe iura adscripserint iis, a quibus non primum constituta, sed tantum repetita sunt. Sed coniectura haec Viri Summi, quae arrisit etiam Ill. SCHOTTIO *in der unpartheiisch, Critic. St. XII pag. 110.* eo maiori veri similitudine commendare se videtur, quo certius non tantum est, nullam aliam LEGEM PAPIRIAM, de ritu sacrorum publicatam, inter *Papirias* numerari, sed quo magis etiam constet, *legis* nomine saepissime complexum legum in vnum corpus redactarum intelligi; Sic Codicem e. g. Theodosianum apud veteres Scriptores SIDONIVM nempe APOLLINAREM *Ep. I. Lib. 2.* & GREGORIVM TVRONENSEM *Lib. IV. c. 40. legis Theodosianae* nomine venire, dudum obseruarunt Celeb. Duumuiri IANVS A COSTA in *commentar. ad c. 5. X. de praescript.* & *I. L. E.* PÜTTMANN in diss. iur. can. *de Legislatore Ephesino*

dis edicta proponendi [14]), vti Triumuiri illi celeberrimi *Iac* GVTHERIVS [15]) *Io. Andr.* BOSIVS [16]) & *Io. Gottl.* HEINECCIVS [17]) dudum animaduerterunt.

§. V.

IVRIS CIVILIS PAPIRIANI *ratio & occasio.*

Religionis, legumque NVMAE sacrarum memoria sic repetita, legibus adhuc opus

sino c. 1. §. 7. adiecta EIVS *Probabil. I. C. lib. sing.* p. 184.

14) Auctorem eius rei locupletissimum habemus CORN. TACITVM *Histor. II. 91.* patet hoc etiam perspicue ex loco CICERONIS *de Senectute c. 9.* Trahi hanc quidem in rem etiam video verba CATONIS, quae *ex originum quarto* sic protulit GELLIVS *Noct. Att. II. 28. fin. Non libet scribere, quod in* TABVLA *apud* PONT. MAX. *est, quoties annona cara, quoties lunae aut solis lumini caligo, aut quid obstiterit;* etc. Ego vero, si quid video, explicandum potius hunc CATONIS locum de tabula illa dealbata puto, quam quotannis Pontifex Maximus habuit, in qua praescriptis Consulum nominibus & aliorum Magistratuum digna memoratu notare consueuerat, domi militiaeque terra marique gesta, per singulos dies, ii qui *annales Maximi* nominabantur. Vid. *Iac.* GVTHERIVM *de vet. iure pontificio vrbis Romae.* Lib. I. c. 22. in *Thes. Antiq. Rom. Graev.* T. V. col. 43.

15) *De vet. iure Pontificio vrb. Rom. Lib. I. c. 12.*

16) *Exerc. hist. I. de Pontifice Max. Rom. vet. Cap. IV. §. 1. p. m. 271.*

17) *Histor. Iuris Civ. Lib. I. cap. 3. §. 61. not. *) pag. 118. & Histor. Edictor. Lib. I. c. 1. §. 4. p. 6.*

opus erat, quas tum noui Consules, qui inter cetera Regum officia iuris quoque reddendi munus in se deuolutum intelligebant [18]), in iudicando, tum plebs in agendo contrahendoque sequerentur. Bene enim CICERO [19]) *mens*, inquit, *&* *animus*, *&* *consilium*, *&* *sententia ciuitatis posita est in legibus. Vt corpora nostra sine mente: sic ciuitas sine lege suis partibus, vt neruis, ac sanguine & membris vti non potest.* Verissimaque & in omnium mentibus alte defigenda praeclara eiusdem Summi Oratoris [20]) vox est: *Legum idcirco omnes serui sumus, vt liberi esse possimus.* Vbi enim leges dominantur, ibi parum vel nihil relinquitur magistratuum arbitrio, quum contra, si vel nullum ius scriptum exstat, vel semel ab illo discessum est, *omnia sint incerta; nec praestari quidquam possit, quale futurum sit, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine*, ceu idem TVLLIVS [21]) loquitur. Et inde est, quod veteres respublicas liberas

18) DIONYSIVS *Lib. X. init. pag. 627.*

19) *Orat. pro A. Cluentio c. 53.*

20) *Ibidem* confer. *Io. Conr.* RÜCKERI Orat. *de libertatis praesidio iure ciuili* adiecta EIVS diss. *de civ. & nat. temporis computat. in iure L. B. 1749. p. 334* seqq.

21) *Epist. ad Familiar. IX. 16.*

ras *Legum*; regna *Principum Regum*que esse dicerent, quin *leges* pro ipsa acciperent *libertate*, & hinc *legibus reddita* ipsis videretur ciuitas, quae sese in pristinam libertatem adseruisset. Sic enim LVCANVS [22]) luget:

Felix, ac libera LEGVM
Roma fores, iurisque tui, vicisset in illo
Si tibi SVLLA *loco.*

& QVINCTILIANVS [23]) *poenitentia*, ait, *iuuenilis temeritatis rempublicam* LEGIBVS *ac populi potestati* REDDIDI [24]). Respublica itaque, a SVPERBI tyrannide liberata, si vere libera, nec libidini nouorum Consulum iterum subiecta statim esse vellet, legibus quoque ciuilibus erat reddenda, quarum memoriam TARQVINIVS aboleuerat omnem, ne vestigio quidem in foro relicto [25]). Sed in tam turbido, qui tunc erat, rerum statu neque instauratores libertatis nouas ad populum leges ferre poterant, occupati quippe tum in ordinanda nouae reipublicae forma, tum in quaestionibus de coniuratione exercendis, multisque aliis rebus

 distri-

22) *Pharsal. VI. v. 300.*
23) *Declam. CCLXVI.*
24) Plura adhuc testimonia collegit *Io. Frid.* GRONOVIVS *in Statii Papin. Silv. Diatr. Lib. I. c. 2. pag. 11 seqq.*
25) DIONYSIVS *Lib. IV. n. 182. p. 245.*

diſtricti, quibus ſubito medendum erat; neque etiam populus ipſe, cui ex conditoris ſui ROMVLI inſtituto competebat νομοθεσίας ius [26]), poſt Reges in exilium miſſos, ſtatim de iure nouo condendo erat ſollicitus, cum haud cuiquam in dubio eſſet, bellum ab Tarquiniis imminere graue [27]), ad quod gerendum res comparandae erant neceſſariae [28]). Animaduertebant itaque, renouandas eſſe leges regias, & conſuetudines iam ſub regibus receptas, praeter quas leges tum exſtabant nullae. Quam quidem ob rem cum primi Conſules non tantum leges TVLLII *de contractibus*, humanas admodum & populares, quas TARQVINIVS ſuſtulerat omnes, reuocaſſent in vſum, populoque reddidiſſent ius comitiorum & ſuffragiorum de rebus maximis ferendorum, ſed cetera etiam omnia iuxta priſcas conſuetudines facere permiſiſſent [29]), adeo vt BRVTVS iam ipſe de filiis proditoribus exegerit ſupplicium, obſeruatis omnibus conſuetudinibus & legibus, quae de maleficorum

26) DIONYSIVS *Lib. II. n. 66. p. 87.* & *Lib. IV. p. 224.*

27) LIVIVS *Lib. II. c. 3. init.*

28) DIONYSIVS *Lib. V. p. 288. prope fin.*

29) DIONYSIVS *Lib. V. pag. 278.*

rum ſuppliciis erant receptae [30]); hac re excitatus, aut forſan admonitus ipſe a BRVTO, PAPIRIVS omnium, quotquot exſtabant, legum regiarum in faſciculum colligendarum laudabile conſilium cepit, vt magiſtratibus quippe ac plebi conſuleret, iisque legum illarum, in foro & iudiciis denuo receptarum, & confirmatarum, veluti ſummam ſpectandam proponeret. Conueniebat id eo magis PAPIRIO noſtro, quia, vt infra probabo, penes Pontifices olim iam inde ab antiquiſſimis Romanorum temporibus fuit iuris omnis ac legum cuſtodia. Praecipue vero auctore CICERONE [31]) *memoriae publicae retinendae cauſſa, ab initio rerum Romanarum vsque ad P.* MVCIVM, *pontificem maximum, res omnes ſingulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas vt eſſet populo cognoſcendi*; ii, qui adhuc CICERONIS aetate *annales Maximi* nominabantur; *non magnitudine*, vt PAVLVS apud FESTVM [32]) ait, *ſed quod eos pontifex maximus confeciſſet.* Quando autem

30) DIONYSIVS *c. l. pag.* 283.

31) *de Orator. Lib. II. c.* 12.

32) in verb. *Maximi annales.*

autem res omnes continuit albata pontificis maximi tabula, domi militiaeque geſtas, leges certe, ſint ſacrae, ſint ciuiles, excludi ab illa non debebant [33]), quas ne quidem confirmari potuiſſe populi ſuffragiis, ſine collegio pontificum, augurum, ceterorumque Sacerdotum, in aprico eſt [34]). Poterat itaque PAPIRIVS, quum Pontifex Maximus eſſet, leges regias omnes ex annalibus his maximis, in quibus ſine dubio conſcriptae exſtabant, facillimo opere protrahere in lucem. Aderant praeterea etiam temporibus illis *commentarii Regum*, quorum mentionem fecit CICERO [35]), tanquam ſua adhuc aetate extantium, in quibus inſtituta legesque

33) Firmiſſimum omnino ad ſententiam hanc ſtabiliendam argumentum duci etiam poſſe credo ex loco quodam CICERONIS in *Orat. pro* C RABIRIO *perduell. reo. c. 5* vbi TVLLIVS refert, T. LABIENVM illam de iudicando perduelle TVLLI HOSTILII ſanctionem *ex annalium monumentis* atque ex regum commentariis conquiſiuiſſe.

34) DIONYSIVS HAL. *Ant. Rom. Lib. X. pag. 659. lin. 15.* & *pag 681. lin. 17* ſeqq. adde & *pag. 630. lin. 21.* edit. *Sylb* Confer quoque *Io. Caſim.* HAPPACHII comment. *de calumnia religioſa & theologia civ. veterum praeſertim Romanorum* Coburg 1749. *cap. III. §. 11.* & *cap IV. §. 22.* & G. SCHVBART *de Fatis iurisprud. Rom. Exerc. II. §. 55 pag. 210 ſeq.*

35) *Orat. pro* C. RABIRIO *perduell. reo. c. 5.*

que Regum perſcriptae erant [36]): repetebat enim

36) Vid. Ill. *Io. Aug.* ERNESTI *clav. Ciceron. indic Latinitat.* v. *commentarius.* A quo conſcripti fuerint hi *Regum commentarii*, non ſane conſtat. Admodum probabile mihi videtur, Reges Romanorum leges ſuas, antequam inualuit mos, eas, in album relatas, proponendi in publico, libris inſcribere curaſſe, quo publica earum memoria retineri, tradique hoc modo poſteris posſent, hosque libros, leges Regum eorumque inſtituta continentes, dictos fuiſſe *Regum commentarios.* Sic ſupra ex DIONYSIO HALIC. *Ant. Rom. Lib. III. pag.* 178. audiuimus, ANCVM MARCIVM *commentarios*, *quos* NVMA *de ſacris conſcriptos reliquerat*, a Pontificibus ſumtos, transſcripſiſſe in tabulas, easque in foro propoſuiſſe legendas quibuslibet, eos, quos LIVIVS *Lib. I. c.* 32. expreſſis verbis *commentarios regis* appellat: ſed ceteras quoque eius leges commentariis eiusmodi fuisſe inſcriptas, quodammodo ex inſcriptione arcarum illarum Romae inuentarum apparet, de quarum inuentione plura referunt LIVIVS *Lib. XL. c.* 29 & PLINIVS *Hiſt. Nat. Lib.* 13. Hos enim Regum commentarios acta fuiſſe publica, coniici facillime poteſt ex loco CICERONIS in praecedente nota adducto, & vel iuſſu eorum a pontifice forſan maximo confecti ſunt, quale quid etiam in mentem veniſſe Doctiſſ. BACHIO in *Hiſtor Iurispr. Rom. Lib. I. c. I. Sect. 2. §. 8 not. t.* inueni, vel ſaltim penes collegium Pontificum aſſeruati ſunt; Pontificem enim Maximum ex inſtituto NVMAE regis velut archiuarium Regum, & poſtea Senatus populique Romani fuiſſe, iam obſeruauit G. SCHVBART *de Fatis Iurispr. Rom. Ex. II. §.* 35. *p.* 211. adprime huc faciunt etiam verba

enim ex iis, vt CICERO tradit [37]), *T.* ATTIVS LABIENVS, qui, consule TVLLIO, *C. Rabirium* perduellionis reum postulauit, quod hominem sacrosanctum *Saturninum*, Tribunum plebis seditiosum, interfecisset, institutum iudicii de perduellione, quod, e lege TVLLI HOSTILII, in ciuitate Romana semper mansisse, egregie docuerunt BACHIVS [38]) & *Io. Frid.* IVNGHANNS [39]). Hi itaque *Regum commentarii* & *annales* illi *maximi* sine dubio fontes fuerunt, quos adiit PAPIRIVS in conficienda illa legum regiarum collectione, *ius ciuile Papirianum* appellata.

verba ZONARAE *Tom II. pag.* 27. *ὅσα γὰρ φυλακῆς ἐκρίθησαν ἄξια ἐν σανιδίοις ἐθησαυρίζοντο.* i. e. *quaecunque digna iudicabantur diligenti custodia, illa tanquam thesaurum reponebant*, hi nempe Pontifices.

37) *Orat. cit. c.* 5.

38) *Histor. iurispr. Rom. Lib. I. cap. I. Sect. II. §.* 4.

39) Exercit. I. C. *de iudicio Horatiano eiusque in iure vsu*, sub Praesidio Ill. *A. F.* SCHOTTII *Lips.* 1777. defensa *Cap. I. §.* 6.

SECTIO

SECTIO II.

§. VI.

IVS CIVILE PAPIRIANVM *pomum Eridos.*

Hoc *Ius Ciuile Papirianum* dudum Viris doctis largam peperit controuersiarum segetem, quarum conspectum lectoris placet oculis subiicere, antequam in adornanda illius historia vltra progrediar. Disputant nempe *primum*, an vnum duosue Roma viderit PAPIRIOS, ambo qui dederint operam, legibus regiis in vsum reuocandis? Controuersantur *deinde* mirum quantum inter se docti, quisnam ex gente *Papiria* verus *Iuris Ciuilis Papiriani* fuerit auctor, & quonam praenomine an *Caii* scilicet, an vero *Sexti*, aut *Publii* aut *Sexti Publii*, *Maniine* an *Spurii*, aut quo tandem alio, nescio quo, praenomine fuerit insignitus? Tantaque hic adest sententiarum diuersitas, vt si auctorum tantum nomina quaeras.

> *Promtius expediam, quot amauerit Hippia moechos,*
> *Quot Themison aegros auctumno occiderit vno.*

Porro tam de vera, qua *Iuris* ille *Papiriani* ordinator floruerit, aetate, quam de tempore, quo in componenda hac legum regiarum collectione operam suam collocauerit, non minor est inter Eruditos contentio. Quem fugit *tandem*, quam varias in partes scindatur ICtorum senatus in quaestione illa, num *Ius Ciuile Papirianum* omnes omnium Regum Romanorum leges, an sacras tantum NVMAE continuerit? Et quam varie *postremo* sentiant, cum quaeritur, publicane S. P. Q. R. auctoritate, an priuato tantum studio ductus collectionem suam confecerit PAPIRIVS?

Tot atque tantarum de *Iure Ciuili Papiriano* dissensionum caussam si quaeris, hanc vnice doctis praebuerunt duo POMPONII atque DIONYSII loca, in nostra historia omnino classica, qui de PAPIRIO, eiusque studio, de regum Romanorum legibus bene merendi, varia memoriae prodiderunt notatu digna, quae iis nequaquam inter se conuenire visa sunt. Age nunc itaque ipsa haec proponamus venerandae antiquitatis monumenta, videamus cruces, quas fixerint doctis, quasque in eluctandis iis posuerint curas. Sed &

nobis

nobis poſtea, de his quid videatur, liceat dicere.

Hanc veniam petimus, damusque viciſſim.

§. VII.

POMPONII *atque* DIONYSII *de* PAPIRIO IVRE*que* CIVILI PAPIRIANO *loca exhibentur ipſa.*

POMPONIVS *lib. ſingulari Enchiridii* [1]).

Poſtea aucta ad aliquem modum ciuitate, ipſum ROMVLVM *traditur populum in triginta partes diuiſiſſe, quas partes* Curias *appellauit: propterea quod tunc reipublicae curam per ſententias partium earum expediebat. Et ita* Leges *quasdam & ipſe* curiatas *ad populum tulit* [2]). *Tulerunt & ſequentes Reges: quae omnes conſcriptae exſtant in libro* SEXTI PAPIRII: *qui fuit illis temporibus, quibus* SVPERBVS *Demarati Corinthii filius ex Princi-*

1) L. 2. §. 2. D. de O. I.
2) Dictionem hanc *legem ferre ad populum* eleganter explicuit Celeb. *Io Aug.* ERNESTI *in Clavi Ciceron. Ind. Legum pr.* vide quoque Ill. *Rud. Chr.* HENNE diſſ. *de SCtorum vi & auctoritate.* Erford. 1773. §. 6.

Principalibus viris. Is liber, vt diximus, appellatur IVS CIVILE PAPIRIANVM: *non quia* PAPIRIVS *de ſuo quicquam ibi adiecit, ſed quod leges ſine ordine latas in vnum compoſuit.*

IDEM paullo inferius [3])

Fuit autem in primis peritus PVBLIVS PAPIRIVS, *qui Leges regias in vnum contulit.*

His verbis POMPONIVS complectitur IVRIS PAPIRIANI hiſtoriam, DIONYSIVS vero HALICARNASSEVS [4]) de ANCO MARCIO Rege diſſerens, eiusque ſtudio inſtaurandi ſacra publica, vt a NVMA inſtituta erant, regnante TVLLO maxime neglecta, de PAPIRIO pontifice maximo haec refert:

Ταῦτα καὶ τὰ τȣ́τοις ὅμοια διαλεγόμενος, καὶ ἐις πολλὴν ἐπιθυμίαν καθιςὰς ἅπαντας ἡσυχίας ἀπολέμȣ, καὶ φιλεργίας σώφρονος, καὶ μετὰ τȣ̃το συγκαλέσας

3) c.L. 2. §. 36. D. *de* O. I.

4) *Antiquit. Rom. Lib. III. n.* 132. *p.* 178. *init.* ed. *Sylb.*

σας τοὺς ἱεροφάντας, καὶ τὰς περὶ τῶν ἱερῶν συγγραφὰς, ἃς Πομπίλιος συνεστήσατο, παρ᾽ αὐτῶν λαβὼν, ἀνέγραψεν εἰς δέλτους, καὶ προὔθηκεν ἐν ἀγορᾷ πᾶσι τοῖς βουλομένοις σκοπεῖν, ἃς ἀφανισθῆναι συνέβη τῷ χρόνῳ. Χάλκεαι γὰρ στῆλαι οὔπω τότε ἦσαν, ἀλλ᾽ ἐν δρυΐναις ἐχαράττοντο σανίσιν οἵ τε νόμοι καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν διαγραφαί. μετά δὲ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων εἰς ἀναστροφὴν δημοσίαν αὖθις ἤχθησαν ὑπ᾽ ἀνδρὸς ἱεροφάντου Γαΐου Παπιρίου, τῶν ἁπάντων τῶν ἱερῶν ἡγεμονίαν ἔχοντος [5])

§. VIII.

Scrupuli atque aenigmata, quae his in locis torquent viros doctos, eorumque variae de concilianda illorum pugna ſententiae.

En, haec ſunt illa duo famoſa antiquitatis monimenta, quae crucem fixerunt prope ineluctabilem, quicumque vel ad titulum Digeſtorum *de Origine Iuris* commentati ſunt, vel hiſtoriam iuris ſcriptionibus luculen-

5) Interpretationem loci huius *Dionyſiani* latinam adiicere neceſſarium non duxi, poſteaquam ei iam lucem accendi in *not. 13. ∫phi IV.* praecipue *p. 30. in fine* a verbis *Cumque his ac ſimilibus* etc.

lentissimis illustrarunt. Nihil in his locis deprehendere sibi videntur, quod non repugnet, nihil quod non ἀνισοϱησία offendat. Quem enim POMPONIVS, inquiunt, mox *Sextum*, mox *Publium* vocat PAPIRIVM, eum DIONYSIVS appellat *Caium*. Qui DIONYSIO est Pontifex Maximus, illum *ex principalibus viris* fuisse, POMPONIVS tradit; quem POMPONIVS omnes omnium Regum Romanorum leges collegisse refert, eum DIONYSIVS solius NVMAE leges sacras, quas iam ante ex eius commentariis, in quernas tabulas transscriptas, publice proposuerat ANCVS MARCIVS, in vsum reduxisse narrat, cum rursus vetustate euanuissent. Quem porro POMPONIVS leges Regias omnes priuato consilio, in vsum, ita volunt [6]), priuatum vnum in librum contulisse scribit; eum DIONYSIVS leges NVMAE sacras consilio publico, sic enim sibi persuadent, atque in populi vsum, in tabulis, & quidem, vt iis videtur, quernis iterum descriptas, in foro vulgasse perhibet. Quem denique POMPONIVS

6) Ill. *Hermannum* CANNEGIETERVM praecipue puto, qui sic sibi persuasit, hancque repugnantiam in his locis vidit in *Obseruat. Iuris Rom. Lib. I. c. 15. pag. 97* seq.

NIVS temporibus SVPERBI, *Demarati Corinthii* filium quem facit, floruisse, eum DIONYSIVS μετὰ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων i. e. post reges demum exactos vixisse commemorat.

Sed & in fragmento POMPONII ipso, nihil iis sani visum est, nihil quod cohaereat, quod non ἀνιστορησίας macula laboret. Quae enim *primum* in PAPIRII praenomine varietas, qui modo *Sextus* appellatur, modo *Publius*? *Deinde* quod vixisse idem traditur temporibus SVPERBI, *Demarati Corinthii* filii, quomodo id conciliaueris cum tot publicis historiarum documentis, quae plene probant, non hunc TARQVINIVM, cui SVPERBO cognomen facta indiderunt, sed PRISCVM fuisse *Demarati Corinthii* filium 7)? Offendunt porro verba: *Is liber*, VT DIXIMVS, *adpellatur ius ciuile Papirianum*; lepidum caput, inquiunt, quisquis fuerit POMPONII ille Epitomator, cur ea omisit, quae dixerat POMPONIVS? Quis vnquam tandem, clamant, fando audiuit de *legibus regiis* SINE ORDINE LATIS, *quas in vnum composuisse* PAPIRIVM fertur. Nullum plane sensum admittere haec verba iis videntur

7) MACROBIVS *Saturn. Lib. I. c. 6.* LIVIVS *Lib. I. c. 34.* PLINIVS *histor. natur. Lib. XXXV. c. 3. & u.*

tur [8]). Non leues porro ex hac POMPONII historia controuersias nasci queruntur, vtrum ante exactos reges, an in libera republica leges istas compilarit PAPIRIVS? Solasne leges de iure priuato, an & reliquas de iure publico collegerit [9])? & quae sunt huius generis aliae difficultates, ad quas, tamquam ad scopulos, offenderunt Iuris interpretes. Mirum est, quae finxerint viri eruditi, vt hanc Scriptorum dissensionem tollant, quam deprehendere hic sibi videntur; mirum, quantum operae posuerint in emaculando POMPONII fragmento, sanandisque iis, quae male se habere videntur. Placet, varias virorum doctorum coniecturas in medium producere, easque pace illorum, si quid est in me ingenii, trutinare, non quasi de viris grauissimis iudex sedere vellem, tantum enim mihi nullus tribuo, sed profligatis solummodo, quantum in me est, scrupulis, qui his in locis eos excruciarunt, concordiam quandam inter se Scriptoresque tentaturus. Abeunt autem in duas quasi familias ICti. Vel enim, POMPONII cum DIO-

8) Vid. RITTERVM *ad* HEINECCII *histor. Iur. Civ. Lib. I. c. 2. §. 17. p. 32.*

9) Celeb. HEINECCIVS *Obs. hist. de Iure Papiriano §. 2.*

DIONYSIO reconciliandi gratia, de duobus diuersis PAPIRIIS eos loqui putant, qui duplex idemque plane diuersum opus ediderint; vel vtrumque scriptorem de vno eodemque PAPIRIO intelligunt, aliaque ratione difficultates tollunt, quae eos offenderunt. De *illa* ICtorum opinione primum, de *hac* postea videamus.

§. IX.

Sententia eorum proponitur, qui duos diuersos fuisse PAPIRIOS *existimant, de quibus* POMPONIVS *atque* DIONYSIVS *disserunt.*

Prodeat itaque primum quod sententiam dicat, illorum interpretum genus, qui, vt POMPONIVM cum DIONYSIO in gratiam consensumque reducant, eos de duobus plane diuersis PAPIRIIS exposuisse censent, qui diuersa aetate vixerint, diuersaque prorsus ratione atque consilio de restituendis legibus regiis bene meruerint. Hanc viam inierunt bene multi, iique Summi Viri, *Iacobus* nempe CVIACIVS [10]) *Georgius* EBERLINVS

10) *Comm. ad* POMPONII *L.* 2. D. *de* O. I. *ad* §. 2 *h.* L. in *Io. Lud.* VHLII *opusc. ad Histor. Iuris,* & *maxime ad* POMPON. *Enchirid. illustrand. pertinentibus. pag.* 4.

LINVS [11]) *Euerardus* OTTO [12]) *Franc. Carol.* CONRADI [13]) *Antonius* TERRASSONVS [14]) Celeberrimus ille *Hermannus* CANNEGIETERVS [15]) & alii. Sed caussam dicat CANNEGIETERVS ipse, qui tantum inter aeui huius ICtos caput extulit,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Is, *diuersos esse hos* PAPIRIOS, inquit, *intelligimus, I. ex diuersis nominibus, II. ex diuerso opere, III. ex diuerso operis instituto, forte etiam IV. ex diuersa vtriusque aetate.* DIONYSII *ille* PAPIRIVS Caius *est dictus,* POMPONII *aut* Sextus, *quo praenomine signatur* §. 2. *aut* Publius, *vt in* §. 36. POMPONIANVS *hic* PAPIRIVS (*liceat hoc modo eum nominare*) *Regum omnium Romanorum leges conquisiuit,* DIONYSIANVS *ille solius* NVMAE *non leges tantum, sed & commentarios sacrorum* τὰς περὶ τῶν ἱερῶν συγγραφὰς, *quas*

11) *Explicat. in Tit.* Digest. *de Origine Iuris cap.* XXXV. *n. 1. pag. 271. (ed. Henricopolit. 1592)*

12) *Praefat. Tom. IV Thesaur. Iur. Rom. pag. 4. (Traj. ad Rhen. 1733)*

13) *Praefat. Corn. van* BYNCKERSHOECK *praetermiss. ad L. 2. D. de O. I.* praemissa, penes VHL. *in opusc. pag 221.*

14) *Histoir. de la jurisprudence Rom.* (a Paris 1750.) *Prem. Part. §. 4 pag. 21.*

15) *Obseruat. Iuris Rom. Lib. I. cap. 15. pag. 97 seq.*

quas sedulo a legibus distinguit DIONYSIVS *in eodem loco,* οἵ τε νόμοι καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν Διαγραφαί. PAPIRIVS POMPONIANVS *leges Regias priuato consilio in vsum priuatum in libros retulit,* DIONYSIANVS *consilio publico, & in populi vsum, atque, vt videtur, in quernis tabulis descriptas, in foro vulgatas. Quod aetatem diuersam dixi, exili fateor suspicione ducor.* POMPONIANVS *vixisse traditur* temporibus, quibus SVPERBVS *Demarati Corinthii* filius; *floruit ergo aut* TARQVINIO PRISCO *aut* SVPERBO *regnante; notae namque de lectione huius loci summorum virorum contentiones.* BARTOLIN. *in* leges cap. 69. tom. I. fac. Crit. p. 716. *& illustriss.* BYNCKERSHOEKIVS *in* Praetermiss. *legunt* filii filius. *Sed* PRISCVM *intelligunt* LANZIVS, ACCVRSIVS *&* CVIACIVS. *Anterior itaque fuit* PAPIRIO DIONYSIANO, *qui vixit* μετὰ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων *post exactos reges. Si dicas fieri potuisse, vt vixerit non tantum regnante* SVPERBO, *sed & exacto eo, recuperata libertate, quo tempore* DIONYSIANVS *iste extitit, non nego, sed non puto regibus exactis, & reddita libertate eum operam insumere voluisse colligendis singulari libro regum legibus, quae vna cum auctoribus suis, id est,*

regibus exactae sunt, *vt* POMPONIVS *testatur* §. 3.

Sic ILLE; & ita amicissime etiam conspirant caeteri, quos in medium produxi, eiusdem classis ICti. Diuersos fuisse PAPIRIOS, affirmant omnes, alium, de quo POMPONIVS, alium, de quo DIONYSIVS differat, dissentiunt modo in adiunctis. Quem enim PAPIRIVM, *Caium* nempe illum DIONYSII, Pontificem Maximum, non sacra tantum NVMAE institutа, sed ceteras quoque eius leges consilio publico & in populi vsum, in quernis iterum tabulis descriptas restituisse, Ill. CANNEGIETERVS perhibet; eundem commentarios tantum sacrorum, a NVMA conscriptos, & ANCI MARCII iussu in tabulis quernis publice propositos, sed vetustate absumtos, in vsum publicum reuocasse, arbitrantur reliqui, si modo a *Franc. Carolo* CONRADI discesserim, quem hac quidem de re consentientem cum CANNEGIETERO reperi. Discrepat praeterea *Ant.* TERRASSONVS etiam in hoc a CANNEGIETERO, quod *Sextum* illum PAPIRIVM, quem POMPONIVS temporibus SVPERBI ex principalibus fuisse viris scribit, *publica Senatus Populique Romani auctoritate* leges regias in vnum

vnum omnes librum congessisse existimet, idque regnante, sub quo vixerit, TARQVINIO SVPERBO; cum ipsi e contra alter ille *Caius* PAPIRIVS, Pontifex Maximus DIONYSII, leges NVMAE sacras tantummodo *muneris sui caussa* post reges demum exactos instaurasse videatur; *On crut alors*, inquit, *que l' inobservation des loix* (Royales) *venoit de ce, qu' elles n' étoient point écrites. C' est pourquoi le Sénat & le Peuple se reunirent pour les faire rassembler en un seul volume; & l' on confia ce soin à* SEXTVS PAPYRIVS, *qui étoit de race Patricienne. Celui-ci recueillit avec une grande exactitude toutes les Loix de* ROMVLVS, *de* NVMA, *& des autres Rois, qui avoient gouverné Rome jusqu' au tems de Tarquin. —— Cela n' empêche pas, que par la Suite, & après l' expulsion des Rois, il n' y ait encore eu un autre* PAPYRIVS, *surnommé* Cajus, *qui (Selon* DENIS *d'* HALICARNASSE Antiqu. Rom. Liv. 3.) *étoit souverain Pontife, & qui remit en vigueur les Loix, que* NVMA POMPILIVS *avoit faites au sujet des Sacrifices. Mais de ce qu'un* Cajus PAPYRIVS, *en sa qualité de souverain Pontife, aura fait observer les seules loix, que* NVMA *avoit faites au sujet des Sacrifices, il ne s' ensuit pas, que ce* Cajus PAPYRIVS *soit l' au-*

 teur

teur du CODE PAPYRIEN, *qui renfermoit toutes les Loix Royales* omnes leges regias. *Ainsi* Guillaume GROTIVS, *& les autres Auteurs, qui ont voulu placer l'époque du* CODE PAPYRIEN *après l'expulsion des Rois, sont d'autant plus mal fondés dans leur sentiment, que le Iurisconsulte* POMPONIVS *dit formellement, qu'après l'expulsion des Rois toutes les Loix, qu'ils avoient faites, cesserent d'être en usage, & que le peuple Romain recommença une seconde fois à être gouverné plutôt par un Droit incertain, & par la Coutume, que par les Loix, qui avoient été ci-devant faites:* L. 2. §. 3. ff. de O. I. Exactis deinde — passus est. *Il resulte de tout cela, que les Loix royales furent rassemblées par* Sextus *ou* Publius PAPYRIVS *sous le régne de* TARQVIN *le* SVPERBE; *que les mêmes Loix cesserent d'être observées peu de tems après la collection, qui en fut faite par* PAPYRIVS; *& que c'est pendant le tems, & à cause de cette inobservation, qu'un autre* PAPYRIVS *surnommé* Cajus, *& qui étoit souverain Pontife, remit en vigueur les Loix, que* NVMA POMPILIVS *avoit faites au sujet des Sacrifices, & de la Religion. Mais il reste toujours pour certain, que le* PAPYRIVS, *qui vivoit sous le régne de* TARQVIN *le* SVPERBE

fut

fut celui, qui rassembla toutes les Loix royales en un volume. Le Peuple pénétré de reconnoissance envers SEXTVS PAPIRIVS, *voulut que ce Recueil portât le nom de son Auteur: desorte que ce Volume a été connu dans la suite sous le nom de* CODE PAPIRIEN, *dont nous n'avons plus que des fragmens dispersés dans divers Auteurs.*

Iam age videamus, an ita in alia omnia discedant inter se grauissimi hi scriptores, vt ideo statim de duobus prorsus diuersis PAPIRIIS eos locutos esse, cum Viris his Celeberrimis statuendum sit. Ceteris enim illorum coniecturis, quibus historiae POMPONII de PAPIRIO conciliandae, remouendisque difficultatibus in ea obuiis viam parare studuerunt, hic immorari non lubet, nam cum de eo hi viri inter se consentiant ad vnum omnes, recteque iam viderint, neutiquam DIONYSIVM, vt perperam sibi persuadent ICtorum plerique aetatis nostrae, sed vnice POMPONIVM de nostro *Iure Ciuili Papiriano* exposuisse, medelas eorum, quas aegro POMPONIO attulerunt, infra proponendi locus dabitur opportunior, quando in eruendis singulis historiae *Iuris Ciuilis Papiriani* capitibus versabor.

§. X.

Sententia haec examinatur, atque de vno eodemque PAPIRIO *&* POMPONIVM *&* DIONYSIVM *consentire, demonstratur.*

Quid igitur, an alius plane est ille PAPIRIVS, quem leges NVMAE sacras restituisse DIONYSIVS scribit, vetustate obliteratas, an diuersus est, inquam, ab illo *Iuris Ciuilis Papiriani* conditore, cuius POMPONIVS meminit? Equidem sane nihil prorsus eiusmodi deprehendo.

Quod enim *primum* DIONYSIVS praenomine *Gajum* appellat, quem POMPONIVS mox *Sextum*, mox *Publium* vocat PAPIRIVM, *res est parui omnino momenti*, vt vere iam scripsit *Iac.* CVIACIVS [16]) *& praenominum in omnibus auctoribus, & ipsorum quoque auctorum vbique variatio nimium quantum frequens.* Quotus *deinde* quisque dubitaret, pontificem maximum, qui primis Romae temporibus vsque ad A. V. C. D. e patriciorum tantum ordine creabatur [17]), ex *principalibus* fuisse *viris?* Is, qui praeerat collegio Sacerdotum, quorum potestas non tantum

16) *Comm. ad* POMPON. *L.* 2. *§.* 2. D. *de* O. I. penes VHL. *p. 4.*

17) Vt ex LIVII *Epitom. Lib. XVIII. p. 919.* edit. *Gronov. Basil. 1740. T. I.* patet.

tantum in ſacris erat ampliſſima; *nam* DIONYSIO [18]) teſte, *omnes lites ſacras dirimebant pontifices, tam inter magiſtratus, quam inter priuatos homines, ac ſacrorum miniſtros ortas; nouas de ſacris leges condebant, quae nondum ſcriptis mandata, nec vſu recepta erant, ſi digna videbantur, quae legibus aut more commendentur: in omnes magiſtratus, quibus ſacrificia, deorumque cultus erat commiſſus, & in omnes ſacerdotes inquirebant: miniſtros quoque ſacrorum in officio continebant, ne quid contra ſacras leges delinquerent: rudi & imperitae plebi de cultu deorum rebusque ſacris reſpondebant, ritusque ſacros ei interpretabantur; quod ſi quem animaduertebant praeſcripta ſua contemnere, eum multabant, pro delicti magnitudine: ipſi nullius poteſtati erant obnoxii, nec tenebantur vel Senatui vel populo reddere rationem;* ſed quos etiam eosdem, vt CICERO [19]) ait, ſummae reipublicae praeeſſe voluerunt Romanorum maiores; *vt ampliſſimi & clariſſimi ciues rempublicam bene gerendo; pontifices religiones ſapienter interpretando, rempublicam conſeruarent;* qui denique ab antiquis ideo vocabantur *clari*

18) *Ant. Rom. Lib. II. n. 99. p. 132.* edit. *Sylburg.*
19) *Or. pro domo ad Pontifices c. 1. init.*

ri viri [20]), atque *honoribus populi Romani ornati* [21]); Is, inquam, qui tali Sacerdotum collegio praeſidebat, nonne *ex principalibus viris*, i. e. ex primoribus ciuitatis, ſummoque honore conſpicuis fuiſſe, dici poterat? praeſertim cum vel ob ſolam iuris ſcientiam PAPIRIVM inter eos referendum putauerit POMPONIVS [22]), qui maximae dignitatis apud populum Romanum fuerunt. Quem fugit enim, qua religione Romani ICtos ſint proſequuti, qua obſeruantia eos honorarint? *Principes* [23]), atque *ſummos viros* [24]) illos ſalutat CICERO, & *per iurisperitiam principem in ciuitate locum acquiri*, exemplo CAPITONIS ATTEII illuſtrat TACITVS [25]), qui etiam *C.* AMINIVM REBIVM *ex primoribus peritia legum fuiſſe* [26]) affirmat. Num itaque ideo ſtatim duos Ro-

mam

20) LIVIVS *Lib. XL. c. 42.*

21) CICERO *Orat. pro domo c. 45* cfr. *Io. Andr.* BOSII Exerc. *de Pontifice Maximo Romae vet. cap. VII §. 3.*

22) Vid. *L. 2. §. 35. & 36.* D. *de* O. I.

23) CICERO *de offic. Lib. II. c. 19.*

24) ID. *de Legib Lib. I. c. 4.* adde *Adr.* STEGERI diſſ. *de honoribus vet ICtor. Lipſ. 1743.*

25) TACITVS *Annal. III. 75. fin.*

26) *Annal. XIII. 30.*

mam tuliſſe PAPIRIOS putaúerim, ambo qui operam ſuam collocauerint in legibus regiis in vſum reuocandis, quod DIONYSIVS PAPIRIVM *pontificem maximum*, POMPONIVS vero eum *ex principalibus viris* [27]) fuiſſe perhibeat? Abſit. Sed & ipſe temporis character, quem dedit POMPONIVS, nemini rectius, quam PAPIRIO DIONYSII conuenit. Nonne enim PAPIRIVS per aetatem & SVPERBI tyrannidem & liberatam ab ea rempublicam videre potuit? adeo vt plane non diſcrepet, PAPIRIVM regnante

27) Verba POMPONII *ex principalibus viris* Thomas PAPILLONIVS *in Comment. in IV. priores Titulos Lib. I. Dig.* qui extant *in Ger.* MERMANNI *Theſ. Iur. civ. & canon. Tom. II p. 570.* interpretatus eſt *ex coborte principum virorum & honoratiorum apud Regem.* Obtinuiſſe enim iam inde ab antiquo putat, vt Reges ſibi in conſilium cooptauerint. tam militaribus, quam ciuilibus ſtudiis inſignes viros, ex quorum ſententia de ſumma reipublicae transegerint, inter quos ſicut & nunc, ita & olim ICtos non infimum obtinuiſſe locum arbitratur; Verum vt taceam, Senatores quidem, non autem Pontifices Regibus olim adfuiſſe conſiliarios, vt DIONYSIVS *Ant. Rom. II. 85. in fin.* tradit. quos tamen ne quidem ipſos admiſit SVPERBVS, quippe qui LIVIO teſte *Lib. I c. 49.* primus traditum a prioribus morem de omnibus Senatum conſulendi ſoluit, domeſticisque conſiliis rempublicam adminiſtrauit; certe, ex intimis eum tyranni fuiſſe, equidem ſaltim aegre crediderim.

te adhuc TARQVINIO SVPERBO vixiſſe, & tamen regibus demum exactis, redditaque libertate cogitaſſe de reſtituendis colligendisque Regum Romanorum legibus. Quod enim ſummi hi viri exiſtimant, PAPIRIVM illum POMPONII SVPERBO, ſub quo vixerit, regnum obtinente, leges Regias compoſuiſſe in vnum, id quidem ex verbis POMPONII; *qui fuit illis temporibus, quibus Superbus Demarati Corinthii filius, ex principalibus viris*, an colligi poſſit, valde equidem dubito; neque etiam ratio, quod vna cum Regibus, etiam leges eorum exactae ſint, ex verbis POMPONII ſtatim ſequentibus: *Exactis deinde Regibus Lege Tribunicia, omnes leges hae exoleuerunt* [28]), non rite, ſi quid video, intellectis, petita, tanti mihi eſſe momenti videtur, vt adſenſum facile mihi extorqueat. Sed manum de tabula; infra enim accuratiori mentis trutina argumenta haec examinabo, quando aetatem *Iuris Ciuilis Papiriani* exquiram.

Verum enim vero, obiiciunt, nonne diuerſae tamen ſunt res geſtae, quas litteris mandarunt POMPONIVS atque DIONYSIVS de ſuo vterque PAPIRIO? nonne diuerſum plane opus eſt, quale PAPIRIVM edidiſſe vtrum-

28) *L.* 2. *§.* 3. D. *de* O. I.

vtrumque Scriptores illi affirmant? Ita ſane. DIONYSIVS omnino de *Caio* ſuo PAPIRIO tantum refert, eum tabulas illas, in quas leges NVMAE de ſacris latas ex commentariis regis incidi iuſſerat ANCVS MARCIVS [29]), in

29) Has tabulas ius ciuile tantum comprehendiſſe ſibi perſuaſit *Iac.* GVTHERIVS *de vet. iure pontificio Lib. I. c. 22. in fine. Nam poſt exactos reges* ſcribit, *in publicum vſum ſunt reuocatae per ſummum Pontificem* Caium PAPIRIVM, *quem tuto eum fuiſſe, qui a* POMPONIO Sextus *vocatur: cuius liber* ius ciuile Papirianum *appellatus eſt* Refutatque CVIACIVM, quod in *Commentario ſuo ad L.* 2 *ſ.* 2. D. *de* O. I. *Caium* hunc PAPIRIVM ſacra publica a NVMA POMPILIO inſtituta, & MARCII iuſſu in albo propoſita, reſtituiſſe putauerit, quippe quae vulgari nunquam fas fuerit, ſed tantum eorum ritus, quos vt leges ipſas *Caius* PAPIRIVS in publicum vſum reuocauerit. Trahitque huc verba LIVII *Lib 6 c.* 1. *Quae ad ſacra pertinebant, a pontificibus maxime, vt religione adſtrictos haberent multitudinis animos, ſuppreſſa ſunt.* Sed nodum in ſcirpo quaeſiuit vir doctus. Erant quidem ritus tantum ſacrorum, a NVMA conſtituti, quos, tempore & inuſu abolitos, poſt reges exactos iterum renouauit PAPIRIVS, non religionis μυστήρια, quorum diſciplina ſancta habebatur atque ſecreta, quae nemini praeterquam ſolis panderetur pontificibus ex cauſſa a LIVIO prodita, qui tamen proprie de iis temporibus loquitur, quibus Roma poſt fatalem Gallorum irruptionem, creatis A. V. C. 365. tribunis militum conſulari poteſtate, reſtituta erat; ipſe tamen LIVIVS *Lib. I. c.* 32., quem etiam adduxit CVIA-

in publicum denuo vſum reuocaſſe, quas tempus edax rerum, tabidaque vetuſtas conſumſerat, quum POMPONIVS e contra *Sextum* PAPIRIVM leges regias omnes vnum in librum contuliſſe ſcribat, qui *ius ciuile Papirianum* appelletur. Neque etiam in

CVIACIVS, de ANCO MARCIO aperte dicit, omnia eum *ſacra publica, vt ab* NVMA *inſtituta erant, ex commentariis regis Pontificem Maximum, in album relata, proponere in publico iuſſiſſe*, & hoc album, hae ipſae erant tabulae, quas poſt reges exactos, teſte DIONYSIO, reſtituit PAPIRIVS, vetuſtate abſumtas. Quid itaque ſibi velit GVTHERIVS, equidem non video, idque eo minus, cum inter omnes conſtet, *ſacra publica* inprimis *feſta* & *ſacrificia* audiuiſſe, quae Deorum cultui deſtinata erant, quaeque docente FESTO *publico ſumtu pro populo fiebant*, indeque etiam *popularia* dicta; Sic enim idem FESTVS: *popularia ſacra ſunt*, inquit, *vt ait* LABEO, *quae omnes ciues faciunt, nec certis familiis attributa ſunt.* Quam quidem ob rem recte omnino exiſtimauit CVIACIVS, PAPIRIVM poſt reges exactos ſacra publica a NVMA POMPILIO inſtituta, & ANCI MARCII iuſſu in albo per P. M. publice propoſita, ſed tempore & inuſu abolita, reſtituiſſe, id quod exacte etiam reſpondet hiſtoriae de ANCO MARCIO ſupra in *not. 13 §. IV.* ex DIONYSIO a nobis expoſitae. Continebant itaque hae tabulae, a PAPIRIO reſtitutae, *ius ſacrum* non ciuile, vt ſibi GVTHERIVS perſuaſit, quem in errorem hunc induxit, quod *ius ciuile Papirianum*, cuius POMPONIVS meminit, & legum NVMAE ſacrarum reſtitutionem, de qua DIONYSIVS agit, vnum putauerit idemque opus.

in hac re *Ill.* CANNEGIETERO refragor, quod ſacra illa NVMAE inſtituta *conſilio publico*, i. e. vt ego quidem intelligo, publica auctoritate inſtaurata eſſe, *ius ciuile Papirianum* autem, *auctoritate priuata* compilatum eſſe arbitretur. Pontificum enim ſumma erat circa ſacra poteſtas. Auctoritati eorum omnia ſacra, religionesque & priuatae & publicae erant commendatae [30]) quibus publica Senatus Populique Romani auctoritate praeerant, adeo, *vt quod tres Pontifices ſtatuiſſent, id ſemper Populo Romano, ſemper Senatui, ſemper ipſis Diis, ſatis ſanctum, ſatis auguſtum, ſatis religioſum viſum ſit*, vt CICERO [31]) loquitur. Habebant ius ſtatuendi ac leges ſanciendi de caerimoniis & religione [32]), praecipue autem Pontificis erat Maximi

30) CICERO Orat. *de Haruſpicum Reſponſ c. 7.*
31) *rat c. cap. 6.*
32) Negauit id quidem olim *Cl.* HEINECCIVS *Obſeruat. hiſtor de iure Papiriano* §. *VI!* ſed clare probat DIONYSIVS loco ſupra in medium allato *Lib. II p.* 132 vbi de Pontificibus differens, ita ſcribit: καὶ νομοθετοῦσιν ὅσα τῶν ἱερῶν ἄγραφα ὄντα καὶ ἀνέθιστα, κρίνοντες ἃ ἂν ἐπιτήδεια τυγχάνειν αὐτοῖς φανείη νόμων τὲ καὶ ἐθισμῶν i. e. *leges etiam de ſacris condunt, quae nondum ſcriptis mandata, nec vſu recepta ſunt, ſi digna videantur, quae legibus & conſuetudinibus ſanciantur.* Conf. *Iac.* GVTHERIVS *de vet. iure Pontificio vrbis Romae Lib. I. c.* 13.

Maximi, prouidere, ne quid religio, patrios ritus negligendo, detrimenti pateretur [33]). Muneris publici ratio itaque a PAPIRIO omnino exigebat, illos ſacrorum ritus, a NVMA inſtitutos, ab interitu vindicandi, renouando eosdem, vetuſtate neglectos. Quam quidem ob rem eo facillime adducor, vt credam, publica auctoritate, publicoque conſilio & in populi vſum leges NVMAE ſacras reſtituiſſe PAPIRIVM, quem leges regias omnes poſtea priuato tantum ſtudio in vnum compoſuiſſe contra TERRASSONVM infra demonſtrabo, quamuis eo tamen vsque haud progrediar, vt cum doctiſſimo CANNEGIETERO ſtatuam, illam *Iuris ciuilis Papiriani* compilationem in vſum etiam priuatum ordinatam eſſe, quam potius in vſum Magiſtratuum plebisque ab eo conditam eſſe, ex temporum illorum, quibus haec legum regiarum collectio a PAPIRIO compoſita eſt, ratione ſupra [34]) docui. Neque etiam in eo accedendum eſſe puto CANNEGIETERO, quod PAPIRIVM, *Dionyſianum* quem vocat, non commentarios

33) LIVIVS *Lib. I. cap. 20.* Videat. BOSIVS Exerc. hiſtor. *de pontifice maximo Romae vet. Cap. IV. §. 2.*

34) *Sect. I. §. V. p. 33 ſeq.*

rios tantum ſacrorum NVMAE, ſed ceteras quoque eius leges conquiſiuiſſe, easque ſimul propoſuiſſe in albo, perſuaſum habeat. De hoc enim ne γρὺ quidem in toto DIONYSII loco occurrit. Exiſtimat quidem Vir elegans, DIONYSIVM commentarios ſacrorum NVMAE (τὰς περὶ τῶν ἱερῶν συγγραφὰς) ſedulo a legibus diſtinguere eodem in loco οἵ τε νόμοι καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν διαγραφαί; verum quis eſt, cui vel leuiter ſaltim hunc locum intuenti non ſtatim in oculos incurrat, haec non de NVMAE ipſis, ſed omnibus dici de legibus ritibusque ſacrorum, ANCI MARCII aetate conſtitutis, quippe quos illis temporibus, quibus Roma parebat ANCO, nondum in aeneis, ſed quernis tantum in tabulis inciſos fuiſſe, in tranſitu quaſi ideo hic adſtruit Hiſtoricus, vt, quid fuerit cauſae, appareat, quod tabulae illae, in quas, vt paullo ante narrauerat, commentarios ſacrorum, a NVMA conſcriptos, transſcripſerat ANCVS, atque in foro propoſuerat, legendas quibuslibet, PAPIRII aetate vetuſtate prorſus fuerint conſumtae. Erant enim ligneae. Ideoque χάλκεαι γὰρ ςῆλαι, inquit, ὔπω τότε ἦσαν, ἀλλ' ἐν δρυΐναις ἐχαράττοντο σανίσιν οἵ τε νόμοι καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν διαγραφάι. Fateor equidem, DIONYSIVM hic diſtin-

guere τὲς νόμες καὶ τὰς περὶ τῶν ἱερῶν διαγραφὰς, id eſt *leges & ſacrorum ritus*, haec enim ſunt verba, quae in errorem induxerunt CANNEGIETERVM noſtrum, verum tamen haec neutiquam, quod ſibi perſuaſit, ad NVMAE leges pertinere ritusque ſacrorum, ex commentariis eius ab ANCO propoſitos, videbit quisque, hiſtoriam a DIONYSIO de ANCO expoſitam in ſerie ſua perlegens. ANCVS enim MARCIVS, religiones neglectas animaduertens, a NVMA inſtitutas, hortatur populum, vt, ſicut NVMAE temporibus factitaſſent, eas rurſum colerent, atque, vt ſacra NVMAE inſtituta ciuibus nunc ſemper ob oculos verſarentur, commentarios eius, quibus ea omnia perſcripſerat NVMA, quae ad religiones cerimoniasque pertinebant, a Pontificibus ſumtos, in quorum penetralibus hucusque erant repoſiti, transſcribere in tabulas iubet, quas in foro proponit, vnde de plano recte legi poſſint. Has tandem vetuſtate prorſus exoletas, — *nondum enim in vſu tum erant columnae aeneae: ſed in roboreis tabulis incidebantur tam leges, quam ſacrorum ritus*, — poſt reges exactos in publicum vſum reuocat C. PAPIRIVS, pontifex maximus. Ita DIONYSIVS; ſed quibus exinde fidiculis

Ill,

III. CANNEGIETERVS elicere voluerit, *Caium* illum PAPIRIVM cum ſacris NVMAE ſimul quoque ceteras eius leges tunc repraeſentaſſe tabulis inſculptas, non capio. Nec largior tandem, quod ponit NOSTER, perſcripſiſſe PAPIRIVM reſtitutas NVMAE leges, in tabulas, vt antea, quernas. Illas conſumſerat vetuſtas, quod fuerint roboreae, quibus easdem has NVMAE leges publice iam ante propoſuerat ANCVS; & tamen PAPIRIVM has denuo inſcripſiſſe materiae crederem, aeuum non laturae? abſit. In aere potius reſtitutas vidiſſe has tabulas forum Romanum, vero videtur ſimillimum. Dudum enim Quiritibus iam fuit ſolemne, leges perpetuum duraturas, incidere in aes, mutationi autem ſubiectas, & non niſi ad tempus promulgatas, inſcribere ligno. Probant poſterius Edicta Magiſtratuum, quae ordinarie in albo [35]) tota repraeſentat antiquitas; probant leges, ex *legis Caeciliae & Didiae* [36]) ſanctione, antequam ferrentur ad populum, per trinundinum

35) HEINECCIVS *Hiſtor. Edictor Lib. I. c. 2. §. 5.* *Album* vero quale fuerit, ex RITTERO docui ſupra *not* 7 *ad §. IV.*

36) CICERO *Philipp. V 3* Conf. *Chriſt. Gottl* EINERT diſp. *de Lege Caecilia & Didia.* Lipſ. 1769. *§. VI.*

num promulgatae, vt populus interea perlectas examinare, atque ante ſuffragiorum rogationem agitare ſecum quilibet poſſet, accipiendaene, an repudiandae, aut certe in melius transformandae viderentur; quas quidem in tabulis ligneis, eboreis [37]) interdum,

37) Huiusmodi promulgationis iam ante Legem *Caeciliam & Didiam* elegans exemplum nobis praebent leges decemuirales, quarum decem priores tabulas, ab ipſis Decemviris populo eum in finem LIVIO teſte *Lib. III. c. 34.* propoſitas, vt *verſarent in animis ſecum vnamquamque rem, agitarent deinde ſermonibus: atque in medium, quid in quaque re plus minusue eſſet, conferrent* — eas enim *leges habiturum populum Romanum, quas conſenſus omnium non iuſſiſſe latas magis, quam tuliſſe videri poſſet* — eboreas fuiſſe, non tantum POMPONIVS teſtatur, lib. ſing. *Enchiridii* in *L. 2. §. 4.* D. *de* O. I. ſic ſcribens: *Placuit publica auctoritate decem conſtitui viros, per quos peterentur leges a Graecis ciuitatibus, & ciuitas fundaretur legibus, quas in tabulas* EBOREAS *perſcriptas pro Roſtris compoſuerunt, vt poſſent leges apertius percipi;* ſed etiam vetus THEOPHILI *Scholiaſtes in Paraphr. Inſt. tit. de tut. agnat. legit.* confirmat, qui, vnde duodecim tabulae δυοδεκάδελτος dicantur, expoſiturus, ſic ait: Ἦσαν γὰρ ἐν δέκα δέλτοις ἐλεφαντίνοις γράφεντες· ἑτέρους προσεθήκασι δύο καὶ ἐκ τοῦ συμβάντος ἐκλήθη δυοδεκάδελτος. Erant enim decem hae tabulae emendationi ciuium, ſuaſioni ac diſſuaſioni populi expoſitae, hinc iis ſufficiebat materia, aetatem non ferens, qualis eſt *ebur.* Vide Celeb. *A. F.* SCHOTTI

vin-

dum, populo ſpectandas contemplandasque eſſe propoſitas, ignorat nemo, in veterum auctorum lectione vel leuiter verſatus. Prius docent leges, quas SERVIVS TVLLIVS praeſcripſit Latinorum ciuitatibus [38]), docent Leges duodecim Tabularum [39]), docet ipſum Tabularium Capitolinum, ob tabularum, quae eo continebantur, materiam ταμεῖον i. e. *aerarium* dictum [40]). Inprimis

 vero

vindicias POMPONII *de materia XII. Tabularum in cap. II. §. 4.* Π. *de Orig. Iur.* Dicam quidem ipſi ſcripſit *Gottl.* WERNSDORFIVS in *Obſeruat. de materia XII Tabularum ad loc.* POMPON. *ex Enchirid. L. 2. §. 4.* D. *de* O. I. Vitemberg. 1771. qui pro *eboreas* apud POMPONIVM cum GOTHOFREDIS & SCALIGERO *roboreas* reponendum, atque Decemuiros leges ſuas more, vt ait, ſolito in tabulis quernis propoſuiſſe, fidentor ſibi perſuaſit, culpam ἀνιστορησίας vel in Epitomatorem POMPONII, vel quod magis ipſi probatur, in librarium transferendam putans; verum nihil omnino in campum produxit Vir doctus, niſi reliquias proſtrati dudum exercitus, quibus firmae ac validae obſtant copiae. Obuia tamen arma tulit Celeb. SCHOTTVS *in der unpartheyiſchen Critic über die neueſt. juriſt. Schriften. St. 35. p. 421 ſeqq.*

38 DIONYSIVS *Ant. Rom. Lib. IV. p. 230. in fin.*

39 DIODORVS SICVLVS *Lib. XII. c. 26.* LIVIVS *Lib. III. c. 57.* DIONYSIVS *Lib. X. p. 681.*

40) IOSEPHVS *Ant. Iud. Lib. XII. c. 10. 6. Lib. XIV. c. 8. 5 & c. 10. 1. 3.* Notari meretur, quod SVETONIVS de VESPASIANO Imperatore in EIVS *Vita*

c. 8.

vero huc pertinent illa PLINII [41]): *Vsus aeris ad perpetuitatem monumentorum* IAM PRIDEM *translatus est tabulis aereis, in quibus* PVBLICAE CONSTITVTIONES *inciduntur.* Inde *qui tabulam aeream Legis refixerit, vel quid inde immutauerit*, LEGE IVLIA *peculatus tenebatur*, vt scribit VENVLEIVS SATVRNINVS *lib. 3. iudiciorum publicorum* [42]). Quando autem iam inde ab antiquissimis Romae temporibus, iam a SERVII aetate, sub quo paulatim creuerat rei Romanae splendor, tabulis legum perpetuitatis caussa scribendis sumtum est *aes*, quod perennitati consuleret [43]); certissime illas legum

c. 8. memoriae tradidit, eum tria millia tabularum aerearum, quae incenso Capitolio simul conflagrauerant, restituenda suscepisse; atque vndique inuestigatis exemplaribus, Instrumentum Imperii pulcherrimum ac vetustissimum confecisse: quo continebantur *pene ab exordio Vrbis Senatusconsulta, plebiscita de societate & foedere ac priuilegio cuicumque concessis.* Vide hic *Io. Godof.* RICHTERI lib. acad. *de Tabularus vrbis Rom.* Lipf. 17 .6. *Cap. III*

41) *Hist. Nat. Lib. XXXIV. cap. 9*

42) *L. 8. pr.* D. *ad Legem* IVLIAM *peculatus.*

43 Veritati itaque consentaneum non est, quod scripsit Cl. *Gott.* WERNSDORFIVS *obseruat.* ante cit. *de materia XII. Tab.* p. . *Leges etiam posterio i adhuc aeu ligno incisas esse*, nec, in quo praesidium quaerit, HORATII locus, probat, quod sibi

gum NVMAE ſacrarum tabulas, quas vis tempeſtatis atque vetuſtas deſtruxerat, in *aere* reſtitutas eſſe, eo minus ambigendum, quo certius eſt, quam religioſi fuerint Romani in ſacris domeſticis retinendis, quamque tenaces in conſeruandis ſacrorum ritibus, quippe qui omnem rempublicam ſuam deorum, vti ipſis dicebantur, immortalium nutu atque poteſtate adminiſtrari credebant, quorumque animis cogitatio, religionum conſeruatione reipublicae ſalutem atque incolumitatem niti, ita inſederat, vt, hoc ſulcro concuſſo, ipſam rempublicam labefactari

ſibi perſuaſit: canit enim Poeta de antiquis illis, quae HOMERVM anteceſſerunt, temporibus. Audiamus ipſum *de Art poet. v. 396* ſeqq.

Fuit haec ſapientia QVONDAM,
Oppida moliri: leges incidere ligno
Sic honor & nomen diuinis vatibus atque
Carminibus venit. Poſt hos inſignis HOMERVS. etc.

Oppono ipſi praeterea verba OVIDII *Lib. I. Metamor. v. 91*

Nec verba minacia fixo aere legebantur.

Intelligit Poeta ſeculum illud aureum, quod ſub Saturno Aboriginum rege fuit, nullas tunc fuiſſe leges, non opus fuiſſe ſculpi aere minacia legum verba, ait, quum ſancte omnes & incorrupte viuerent; quum nemo alteri fraudem faceret vel iniuriam. Oppono porro loca CICERONIS *Philipp. I c 7. c. 10 III. c 12* TACITI *Annal. XI. 14.* immo vero tota ipſi obſtat Romana antiquitas.

ri putarent. Accedit tandem, quod non ita multo poſt etiam foedus, *A. V. C. 261.* POSTVMO COMINIO & *Sp.* CASSIO Coſſ. cum Latinis ictum, columna aenea inſculptum legatur apud LIVIVM [44]). Certum itaque eſt atque exploratum, leges perpetuas Romanos tum ante tum poſt PAPIRII tempora, in aes incidere conſueuiſſe; & ſolum venerandas illas NVMAE de ſacris conſtitutiones, tabulis iterum quernis a PAPIRIO propoſitas eſſe, quis eſt, qui crederet? Mitto, quod ſupra [45]) iam protuli, argumentum, ex ipſo DIONYSII loco petitum, ne crambe bis appoſita taedium pariat.

§. XI.

Argumenti continuatio.

Sed vt ex hoc diuerticulo redeamus in viam, ſint vel haec ita ſane, inſtant, diuerſa tamen facta ſunt, quae de PAPIRIO memoriae prodiderunt POMPONIVS & DIONYSIVS. Sunt ſane, neque id nego, potius contra diſſentientes noſtrae aetatis ICtos ſupra [46]) comprobare ſtudui; ſed num ideo ſtatim hi duo diuerſi PAPIRII? Sic vobis vide-

44) *Lib. II. c. 33. in fine.*
45) *Sect. I. §. IV. not. 12. pag. 28 ſeq.*
46) *Sect. I. §. IV. not. 13. p. 29 ſeqq.*

videtur, mihi non aeque. Quae tanta enim necessitas premit, vt entia multiplicemus? PAPIRIVS idem, qui DIONYSIO teste, leges NVMAE sacras restituit, vetustate abolitas, potuitne, quod POMPONIVS tradit, leges deinde regias omnes in vnum componere? Potuit omnino, quinimo, cui id potius, quam eidem illi, conueniret, Roma tunc vidit neminem. Nam pontifex maximus erat, penes quem, vt iam supra [47]) adstruxi, ab antiquissima Romae aetate, vti publicorum documentorum ita & legum praecipue cura fuit custodiaque. Asseruabat PAPIRIVS tabulas domi, in quibus ab initio rerum Romanarum res omnes singulorum annorum, publice a regibus gestas, Legesque eorum [48]) mandauerant litteris decessores eius Pontifices Maximi, quas ideo *annales* appellabant *maximos* [49]). Reposita

 porro

47) *Sect. cit. §. V. p. 37 seqq.*

48) Confer hic, quae hac de re supra *Sect. I. §. V. pag 38 seqq.* in medium attuli.

49) Praeter CICERONIS locum, iam supra excitatum, pertinet huc etiam MACROBIVS *Lib. III. Saturn.* c. 2. *Pontificibus*, inquit, *permissa est potestas memoriam rerum gestarum in tabulas conferendi; & kos* annales *appellant* maximos, *quasi a pontificibus maximis factos.* *Publicos annale* nominat DIOMEDES *Lib. III.* *Annales*, ait, *: scribuntur,*

porro penes Pontificem Maximum iacuerunt acta ipſa, vnde digerebat annales [50]). Indeque ex DIONE [51]) diſcimus, publicam ipſi habitationem eſſe oportuiſſe, actaque publica, quantumuis mortuis Pontificibus, in eadem ſemper manſiſſe domo. Ac ſimile perquam vero eſt, forſan ipſa quaedam legum Regiarum vel authentica vel ſaltim apographa delituiſſe in penetralibus Pontificum [52]). De legibus NVMAE ſacris id ſupra ex DIONYSIO LIVIOque cognouimus. Sed & *ius ciuile*

buntur, quod ſingulorum fere annorum actus contineant: ſicut publici annales, quos Pontifices ſcribaeque conficiunt de Romanis, quod Romanorum res declarant. Quod vero TVLLIVS *Lib. II. de Orat. c.* 12 hanc Pontificis Maximi poteſtatem, annales conficiendi maximos, *ab initio rerum Romanarum* repetit, id reſtringendum paulum videtur ex VOPISCO *in Imp. Taciti vita,* quam ſic incipit: *Quod post exceſſum Romuli, nouello adhuc Romanae vrbis imperio, factum pontifices, penes quos ſcribendae hiſtoriae poteſtas fuit, in litteras retulerunt* etc. vbi ſcriptor is, non a ROMVLI, ſed NVMAE imperio, huius conſuetudinis originem arceſſit Vid. G. I. VOSSIVS *de hiſtoricis latinis. Lib. I c 1 p. 3.*

50) RICHTER *de Tabulariis vrb. Romae. c. II. p. 16.*

51) *Lib. LIV n. 367.*

52) Sic etiam Pontifices haud dubie legum decemviralium exemplar habuiſſe, rationibus haud contemnendis demonſtrauit G SCHVBARTVS *de Fatis iurisprud. Rom. Exerc. II. §. 35. p. 210* ſeqq.

ciuile per multa saecula inter sacra ceremoniasque Deorum immortalium abditum, solisque pontificibus notum fuisse, testatur VALERIVS MAXIMVS [53]). Pontifices enim Romanorum, tanquam patricios, nosse leges oportebat, quia auctore CICERONE [54]) *ad eos de omnibus diuinis atque humanis rebus referretur.* Quomodo autem custodire eas mente sustinuissent, nisi cum cura annotassent, inque libris sacris apud collegium suum adseruassent. Indeque DIONYSIVS [55]) summam illam rerum confusionem adumbrans, Tribunis plebis creatis ortam, nouasque turbas de instituenda ἰσονομία i. e. de iure omnium ciuium exaequando inter Patres plebemque ab iis excitatas, sic scribit: κομιδῇ δὲ ὀλίγα τινὰ ἐν ἱεραῖς ἦν βίβλοις ἀποκείμενα ἃ νόμων εἶχε δύναμιν, ὧν οἱ πατρίκιοι τὴν γνῶσιν εἶχον μόνοι, διὰ τὰς ἐν αὐτῇ διατριβάς. i. e. *oppido pauca in sacris libris habebantur, quae legum vim obtinerent: quorum patricii cognitionem habebant soli, quod in ea versarentur.* Sacri autem hi libri qui alii sunt, nisi Pontificum commentarii?

Elucet

53) *Lib. I c. 5. n. 2.*

54) *de Orator. Lib. III. cap. 33.*

55) *Ant. Rom. Lib. X. n. 463. pag. 627.*

Elucet itaque ex his omnibus, Romam tunc tulisse omnino neminem, qui non tantum subsidiis ad integram legum Regiarum collectionem ordinandam necessariis magis fuerit instructus, sed etiam potiori iure huncce laborem susceperit, quam PAPIRIVM illum, Pontificem Maximum, quem DIONYSIVS leges NVMAE sacras in vsum reuocasse publicum refert, in tabulis ab ANCO propositis nimia vetustate exoletas. Immo vero eundem hunc composuisse *Ius* illud *Ciuile Papirianum*, eo minus dubitandum, quum non tantum, vt supra iam monui, temporis character, quem dedit POMPONIVS, nemini rectius, quam huic PAPIRIO conueniat, sed etiam eadem fere vtriusque, quod edidit, operis ratio, eundem iam auctorem suadeat. Vtrumque enim leges regias complectitur, vtrumque etiam vnice illarum in vsum publicum reducendarum caussa susceptum est. Quemadmodum enim *Papirius* primum leges NVMAE sacras in tabulis restituit, quas viderat vetustate consumtas, muneris ratione admonitus, ita deinde leges etiam Regum Romanorum omnes, praeter quas nullae tum exstabant, quas tum noui Consules in iudicando, tum plebs in agendo contrahendoque sequerentur, vnum

in

in corpus collegit, quarum memoriam TARQVINIVS aboleuerat fere omnem, quas ipſi tamen veluti Archiuario Senatus Populique Romani reſtituere multo fuit facilius, ac neſcio, an vlli.

Sic corruit itaque haec de duobus PAPIRIIS Summorum Virorum hariolatio, ingenioſa quidem illa, ſed, ſi accuratius examinetur, fundamento deſtituta. Mirum tamen eſt, dixerit quiſpiam, neque DIONYSIVM *iuris ciuilis Papiriani*, neque POMPONIVM reſtitutionis illius Legum NVMAE ſacrarum ab eodem PAPIRIO in tabulis factae vllam inieciſſe mentionem; verum deſinas mirari, vti enim DIONYSII inſtitutum illud non ferebat, ſiquidem eo loco, vbi PAPIRII meminit, praecipue tantum de commentariis illis, quos NVMA de ſacris conſcriptos reliquerat, diſſerebat, quos quidem in tabulas transſcriptos, in publico propoſuiſſe ANCVM, ſed vetuſtate tandem obliteratos PAPIRIVM reſtituiſſe enarrat; ita velim quaeſo cogites, in fragmento POMPONII non niſi ſumma hiſtoriae legum capita enarrari, &, vt RVPERTVS [56]) ait, *Enchiri-*

56) *Animadverſion. in Enchirid.* POMPONII *Lib. I. c.* 2. penes VHL. *in Opuſc. pag.* 47.

chiridion POMPONII *in nouam epitomen esse redactum.*

§. XII.

Variae eorum sententiae, qui de vno eodemque PAPIRIO POMPONIVM *atque* DIONYSIVM *intelligunt, proferuntur ac trutinantur. Vindiciae* FRAGMENTI POMPONIANI *contra* RITTERVM *tentatae.*

Peruenimus nunc ad illam virorum doctorum classem, qui de vno quidem eodemque PAPIRIO recte intelligunt tum POMPONIVM cum DIONYSIVM, de iis tamen in gratiam reducendis varie sentiunt. Duplex iterum eorum genus est, quum alii indistincte secundum DIONYSIVM sententiam dent, atque fragmentum POMPONIANVM, tamquam insignem ad deformitatem puerum, plane abiiciendum putent; alii contra artis criticae ope DIONYSIVM atque POMPONIVM amicabiliter inter se componere studeant. Posterioris ICtorum generis crises hic mittimus, infra eas in eruendis singulis historiae *iuris ciuilis Papiriani* capitibus controuersis trutinaturi. Vobiscum itaque solummodo mihi res esto, qui, datis DIONYSIO primis, fragmento nostro *Pomponiano* omnem fidem denegandam putetis, inter quos te praecipue appello, doctissime RIT-

RITTER [57])! ſententiae huius antiſtes, qui & *Io. Aug.* BACHIVM [58]) & nuper *Car. Ant. de* MARTINI [59]) in necem POMPONII ſeduxiſti. Contra egregium autem POMPONII fragmentum ita inſurgis. „*Tantam tribuunt viri docti Pomponiano Fragmento auctoritatem, quàntam maiorem ne quidem dare poſſemus ſcriptori optimo, omnibusque numeris abſoluto, &, quod maximum eſt, cuius ſcripta & integra, & a nemine interpolata deprauataque, ad nos peruenerunt. Quoniam vero iidem non poſſunt non perſpicere, pleraque male ſe habere, recurrunt ad conjecturas, & aegerrimo fragmento medicinam facere ſtudent, qua tamen minime opus eſſet, dummodo aduerterent, hominem indoctum rudemque, & qui ne primis quidem labris literas deguſtauit, Pomponii librum de origine Iuris, ſeculo Iuſtinianeo, barbaro jam, excerpſiſſe, atque foeda ignorantia adeo maculaſſe elegans enchiridion, vt ſingulae fere lineae, vel operoſa & ingenioſa interpretatione, vel emendatione egeant. Exemplum poſſunt prae--*

57) *ad* HEINECCII *Hiſt. Iur. Civ. Lib. I. Cap. II.* §. 17. p. 31 ſeq.
58) in *Hiſtoria Iurispr. Rom. Lib. I. Cap. I. Sect. II.* §. *VII not. q* p. 13. (*Ed Sec Lipſ* 1765.
59) in *rdine hiſtoriae Iuris ciuilis Cap. II.* §. 18. *in nota* *) p. 38. (*Ed. Tert. Viennae* 1770.)

praebere verba supra prolata. Etenim ICtus ille Constantinopolitanus, POMPONII *Epitomator,* PAPIRIVM *primo* Sextum, *& deinde per oscitantiam* Publium *appellat, notatque vixisse temporibus* SVPERBI, *quem, per ignorantiam, Demarati filium facit. Porro lepidum caput pergit,* is liber, VT DIXIMVS, etc. *cum tamen ea, quae dixerat* POMPONIVS, *omisisset; addit denique,* Leges sine ordine latas in vnum composuit, *respiciens sine dubio ordinem illum, qui sua aetate obtinebat, quo leges discerptae in partes varias, titulis quoque variis aptabantur. Nullum enim sensum admittunt haec:* leges regias sine ordine latas composuisse Papirium, *nisi velimus legere,* suo ordine. *Haec vero, quae paullo verbosius disputaui, eo pertinent, vt ostendam,* POMPONII *fragmentum, nisi consentiat cum scriptoribus, qui res Romanas accurate & summa fide posteritati tradiderunt, prorsus attendendum non esse.*

Verum hae quidem rationes tuae, mi RITTER! quamuis elegantes, nondum tanti mihi momenti esse videntur, vt conspirare tecum in necem fragmenti huius, ab animo meo impetrare possim. Fateor lubenter, obseruarunt & dudum RV-

PER-

PERTVS [60]), Summus HEINECCIVS [61]) aliique Summi Viri, historiam illam de origine Iuris non totam, prout a POMPONIO scripta fuerat, esse in Pandectas relatam, sed quaedam tantum, quae prae ceteris notatu digna visa sunt TRIBONIANO eiusque sodalibus, excerpta, & in hanc formam redacta esse; adeo vt Synopsin Pomponianam in nouam rursus epitomen contraxerint, indeque etiam factum, vt saepissime non accurata satis habita sit temporum ratio, variaque, inter se ab Epitomatore connexa, longo se inuicem interuallo exceperint. & multa omnino iam male cohaerere videantur [62]), quae cohaererent procul dubio pulcherrime, si totum POMPONII opusculum exta-

60) in *Animadversion. ad Enchiridion Pomponii Lib. I. cap.* 2.

61) in *praefat. Opusc. ad Hist. Iuris & maxime ad Pomp. Enchirid. a I. L.* VHLIO *collectis praemissa* pag. 53.

62) Rem praeter RVPERTVM atque HEINECCIVM *ll. cit.* variis exemplis elegantissime illustrarunt *B. H.* REINOLDVS *Varior. ad ius civ. pertinent. cap.* 3. in Opuscul. Lugd. Batav. 1755. a IVGLERO editis p. 68. & V. C. *Car. Fr.* ZEPERNICK tum in *animaduers. ad Siccamam p.* 75. tum in egregia Diatr. *de rer. perpetuo simil. iudicatar. auctoritate* §. *VII.* SICCAMAE adiecta *p.* 314.

extaret. Num vero ideo ſtatim fragmentum illud plane abiiciendum eſſe, omnemque ei auctoritatem denegandam putabimus? Nihil minus! Si quid exinde Enchiridio huic eleganti enatum eſt incommodi, ad ſummum certe non niſi id eſt, in hoc fragmento, vt ſcripſit doctiſſimus *C. F.* ZEPERNICK [63]), *ad temporum rationes, ſiue illam innuentes coniunctiones, tam accurate religioſeque haud eſſe ſpectandum.* Deinde vero negare etiam id nolo, varia hic illic in fragmento hoc Pomponiano occurrere corrupta, mendoſa, immo paene deſperata [64]). Neque id mirum. Inciderunt enim iuris noſtri libri in manus ſcribarum indoctiſſimorum, quibus, quod ſcriberent, non magis ſaepe notum fuit, quam doctis auiculis, quod canunt, quid? quod nonnunquam & puellarum id penſum fuiſſe, vt libros deſcripſerint, quo dotem ſibi quaererent, me docuit MERCERIVS [65]). Sed num ideo fragmentum illud, ceu partum monſtroſum, necare volumus? minime! totum certe tunc

63) locis in *not. praec.* laudatis.

64) vexatiſſimus ille *L.* 2 §. 5 D. *de* O. I. locus exemplum nobis praebet. v. V. D. *Carl. Fr.* ZEPERNICKII Diatr. *de rerum perpetuo ſimil a Centumvir. iudicat auctoritate.* §. 3. *pag* 293 *ſeqq.*

65) in *Conciliatore pag.* 23. (*ed. Duisb. ad Rhen.* 1712.)

tunc abiiciendum foret Corpus Iuris Romani, eadem quippe, & multo deteriora fata expertum: id quod tamen nec tibi certe vnquam, mi RITTER! in mentem venit, nec scio hucusque, an vlli. Quid? quotus tandem quisque foret scriptorum antiquorum, qui non exterminandus esset? quam crebrae enim non vbique fere & hodie in optimi cuiusque scriptoris operibus supersunt librariorum aberrationes, quae intricata ac incredibilia saepissime reddunt ea, quae plana essent, & ad fidem prona, dummodo huiusmodi vitiis carerent historicorum libri? Quid, quaeso, est itaque, quod fragmentum solummodo Pomponianum, ceu dominus improbus seruum graui morbo aegrum, statim exponendum putes? ars critica potius fragmento huic, vbi aegrum est, medicinam paret, corruptaque integritati, & desperata, si quae sunt, pristinae sanitati restituat. Qua quidem in re e Criticorum Senatu, qui ad illud fragmentum admodum frequens semper fuit, praecipue laudabilem operam posuit Summus BYNCKERSHOECKIVS, modo parcius interdum ense suo critico fuisset vsus, saepiusque abstinuisset ab emendationibus Enchiridii, vbi sanum id erat.

§. XIII.

Epitomatoris Pomponiani defenſio.

Sed rides, Optime! hanc operam Doctorum, *nec opus eſſe hac medicina fragmento noſtro* inquis, *dummodo aduerterent hi* κριτικότατοι, *hominem indoctum, rudemque, & qui ne primis quidem labris literas deguſtauit*, POMPONII *librum de* O. I. *ſeculo Iuſtinianeo, barbaro iam, excerpſiſſe, atque foeda ignorantia adeo maculaſſe elegans enchiridion, vt ſingulae fere lineae, vel operoſa & ingenioſa interpretatione vel emendatione egeant*; quaſi, Enchiridii quis fuerit Epitomator, tam probe ſcires, in eiusque profectus adeo ſollicite inquiſiuiſſes, vel eum ex quotidiana conſuetudine habuiſſes perſpectiſſimum? Epitomator certe non alius potuit eſſe, quam vel TRIBONIANVS ipſe, vel vnus ex ſociis, quos ei ad opus Digeſtorum componendum adiunxerat IVSTINIANVS Imperator. Neque vero in TRIBONIANVM, neque in quemquam ſociorum eius elogium hoc cadit, quo tu enchiridii *Pomponiani* Epitomatorem adſperſum iuiſti. Quod enim primum ad ipſum TRIBONIANVM attinet, ſummam illius in litteris & iuris arte doctrinam extollunt & illi ſcriptores, qui alioquin de laudibus eius libenter detrahunt, PROCOPIVS nempe

nempe & SVIDAS, quorum ille, TRIBONIANVS, inquit[66]), *vir moribus &* DISCIPLINA OMNIVM ARTIVM *nulli secundus, singulis diebus leges aliquas aut antiquabat, aut condebat.* Et paullo post[67]) ei, jam fatis functo, hoc perhibet testimonium: *eum virum, multis post magistratum viuentem annis, morbo decessisse, nihilque a quoquam ingratum esse passum, quum natura mitis & humanus fuerit, iisque moribus simul &* DOCTRINA SINGVLARI *vnicum auaritiae morbum obscurarit.* SVIDAS vero, pariter quamuis biliosus, eadem tamen laude TRIBONIANVM ornat: Τριβωνιανὸς, inquiens, φύσεως μὲν δυνάμει ἐχρῆτο καὶ παιδείας ἐις ἄκρον τε ἀφίκετο, τῶν κατ᾽ ἀυτὸν ἐδενὸς ἧσσον[68]). Et iterum: Ἦν γὰρ αἱμύλος τε καὶ τ᾽ ἄλλα ἡδὺς καὶ τῆς φιλοχρηματίας τὸ νόσημα ἐπισκιάσαι ἱκανώτατος τῇ τῆς παιδείας περιεσίᾳ[69]). Possem & varias adducere IVSTINIANI constitutiones[70]), in

 qui-

66) PROCOP. *de bello Persico Lib. I. c. 24. p. 71.*
67) *Lib. I. c. 25. initio*
68) i. e. TRIBONIANVS *& acie ingenii valebat, &* APICEM ERVDITIONIS *attigerat, ita vt nullum aetatis suae mortalium hac laude superiorem haberet.*
69) i. e. *erat enim mira vrbanitate, lepore & suauitate praeditus, & auaritiam* SPLENDORE SVMMAE ERVDITIONIS *obscurabat.*
70) Vide e. gr. *L. 2. §. 9.* & *L. 3. §. 9.* COD. *de V. I. E.*

quibus eloquentiae ſimiliter & legitimae ſcientiae artibus decorati, atque in ipſis rerum experimentis ſatis ſpectati laudibus efferuntur, ni forte tibi hae ideo ſuſpectae viderentur, quaſi in his TRIBONIANVS auctor eſſe potuerit in rem ſuam [71]. Sed nec inter ſocios eius, quibus in Pandectis componendis vſus eſt, fuit quisquam, tantis conuiciis dignus, quanta in Enchiridii Epitomatorem fudiſti. Primum enim fuere ex his quidam Anteceſſores eo tempore celeberrimi, qui tum in Berutienſium ſplendidiſſima ciuitate, tum Conſtantinopoli magna cum gloria leges diſcipulis tradebant. Quis vero eos homines indoctos rudesque fuiſſe credat, qui tum famam ſcholarum juris in orbe Romano ſuſtinebant? Eſtnum veroſimile, eos linguae Latinae fuiſſe imperitos, ac ne primis quidem, vt putas, labris litteras deguſtaſſe, qui auditoribus CAII *Inſtitutiones*, *edictum perpetuum*, & PAPINIANI PAVLLIque *Reſponſa*

71) Cfr. hic *Io.* CHIFLETII *apologet. diſſ. de Iuris vtriusque Architectis, Iuſtiniano. Triboniano, Gratiano & S. Reymundo* cap. III. in *Ev.* OTTONIS *Theſ. Iur. Rom. Tom. I. p.* 174 ſeqq. *Io. Pet de* LVDEWIG *in vita Iuſtiniani, atque Theodorae Auguſtorum nec non Triboniani* c. VIII. §. 16. n. 107. p. 186. & §. 19. p. 194. & *Io. Gottl* HEINECCII *Defenſionem* IVSTINIANI, TRIBONIANI, *& Corporis Iuris.* in EI. *opuſc. minorib.* p. 251 ſeqq.

ſponſa publice enarrabant [72])? qui ex tot veterum ICtorum conſtitutionumque voluminibus optima quaeque excerpebant? qui denique, quod THEOPHILVM, DOROTHEVM, aliosque feciſſe nouimus, libros Inſtitutionum, Pandectarum, & codicis in linguam non tantum graecam transferebant, ſed & commentariis ſuis illuſtrabant? Manſerit ſane & *Conſtantinopoli* linguae Latinae vſus adhuc ſub IVSTINIANO neceſſe eſt, quia non tantum IVLIANVS, Anteceſſor ille Conſtantinopolitanus, graecas IVSTINIANI Nouellas eleganti ſtilo latine vertit, & in epitomen contulit, ſed & in principum vel maxime palatio nihil fere magnae rei, niſi latine, esſe ſcriptum, pluribus oſtendit CAROLVS *du* FRESNE [73]). Itaque neminem fore arbitramur, qui proletariae indoctorum hominum turbae accenſere velit THEOPHILVM, DOROTHEVM, ANATOLIVM, atque CRATINVM, Romanae quippe jurisprudentiae doctores tunc temporis celeberrimos. Sed & CONSTANTINVM, Comitem illum ſacrarum

72) Vid. IVSTINIANI *Conſtitut.* Omnem reipublicae. *ad Anteceſſores.* §. 1.

73) Cum in *Conſtantinopoli Chriſtiana* tum in praefat. *Gloſſario mediae atque infimae latinitatis.* praemiſſa §. XII. *pag.* 10 *ſeqq.*

rum largitionum & magiſtrum ſcrinii libellorum ſacrarumque cognitionum, νομων ἐυχ ἀμελέτητον vocat PROCOPIVS [74]); STEPHANVM etiam, cauſſarum quamuis patronum, non adeo rudem tamen fuiſſe hominem, vel ex hoc poteſt intelligi, quod eum Pandectas εἰς πλάτος vertiſſe, MATTHAEVS BLASTARES auctor eſt [75]), atque in Βασιλικῶν corpore propter verſum ab eo Codicem κωδικέυτης adpelletur [76]); & quamuis de reliquorum

74) in Ανεκδοτ. pag. 109. *ed Eichel. Helmſt.* 1654.

75) in praefat. *Syntagm. Canon legumque alphabet.* apud BEVEREG. *Pandect. Canon* T II P 2 *initio.* conf. Βασιλ. *T IV p.* 565. & ſeqq. Eius quaedam fragmenta in *Titulos* D. & C. *de poſtulando* ſ. *de aduocatis & Procuratoribus & Defenſoribus* edidit RVHNKENIVS *in Theſ. Meerm.* T III. & V.

76) Vt recte ſuſpicatur FREHERVS *in Epiſt. dedicat. Iur. Graeco Rom* praemiſſa, hunc enim κωδικευτην eundem fuiſſe, qui ſimul cum Triboniano Digeſtis compilandis operam dedit, probabiliter ex his poteſt colligi, quod 1) *Theophilum*, *Dorotheum*, & *Thalelaeum* ſaepenumero in Baſilicis μακαρίτας appellet, quos tamen omnes eodem vixiſſe tempore, & fere ex Digeſtorum architectis fuiſſe ſcimus. v. Βασιλ. *T. III p.* 176. *i* 180. *a* 184 *d* 212. *A.* & 266. *A.* μακαρίτας vero non niſi *homines noſtra aetate defunctos* appellare ſolemus, 2) citat in *Baſilicis T. III* 280. Πατρικιανε μονοβιβλιον *de ſponſalibus* & hic illic ipſa latini corporis verba, vbi res exigit, interpretatur. Vide REITZIVM *in memorabili-*

rum Pandectarum architectorum doctrina *Mennae* ſcilicet, *Prosdocii*, *Eutolmii*, *Timothei*, *Leonidis*, *Leontii*, *Platonis*, *Iacobi*, *Conſtantini*, atque *Ioannis* teſtimonia non extant, certe tamen etiam nec de ignorantia eorum quisquam Veterum memoriae aliquid prodidit, vt merito hanc ſpem concipiamus de IVSTINIANI prudentia, eum non pasſurum fuiſſe, vilos alios ad hoc tam ſplendidum opus conficiendum eligi, quam viros eorum temporum doctiſſimos prudentiſſimosque, vt ipſe eos vocat IVSTINIANVS [77]). Nunquam probari itaque poterit, quod Tu tam fidenter affirmas, mi RITTER! hominem indoctum rudemque, & qui ne primis quidem labris litteras deguſtauerit, POMPONII *librum de* O. I. excerpſiſſe, foedaque

bilibus ex Scholiis Baſilicorum ſub articulo: latina iuris Iuſtinianei verba citantur & explicantur. Inde concludendum, latinum textum eius tempore plenum adhuc obtinuiſſe vſum ac vigorem, qui poſt varias in graecam linguam verſiones ſenſim demum euileſcere coepit, noſtrumque ideo κωδικευτην Seculo Iuſtinianeo eſſe adſcribendum. v. *Guil Otto.* REITZIVM *in memorabilibus ex Scholiis Baſilicorum excerptis Paraphraſi Theophil.* ab eo editae adiectis *p.* 1241 *ſeq.* Negat tamen HOFFMANNVS *Hiſtoria Iuris Rom. Iuſt. Vol. I. Lib. III. c.* 1. *§.* 3. *not. a. p.* 629.

77) in L. 2. §. 9. COD. de *V. I. E.*

daque adeo ignorantia maculasse hoc elegans *Enchiridion.* Quum enim TRIBONIANO solum licentia concederetur, leges mutandi, quae iuris praecepta exhiberent [78]) neque etiam negari queat, eum non raro legum verba ad mores sui seculi inflexisse, nunquam sane leges interpolatas censere debemus, quibus id saltem traditur, quod ad historiam spectaret [79]). Neque vero etiam, si vel rudis, vt putas, Epitomator tale quid admisisset in excerpendo POMPONII enchyridio, centonem hunc maculatum corpori Digestorum inseri passuros fuisse ceteros pandectarum architectos, persuadere mihi possum; fuere enim ex his quidam, vt antea vidimus, Antecessores, quos olim ad filum huius fragmenti originem atque progressum iuris ciuilis exponere oportuit, quosque ideo, quale initium ceperint reipublicae suae iura, quibus gradibus, quoque processu ad illud fastigium fuerint educta, quo sua aetate gaudebant, saltim intellexisse praesume-

78) Vid. Constit. *Deo Auctore* §. 7. *de concept. Digestor.* Constit. *Haec quae necessar.* §. 2 C. *de nouo Cod. fac* & Constit. *Dedit nobis Deus.* §. 10. C. *de vet. iur. enucl.*

79) Conf. *Car. Frid.* WALCHIVS *ad* ECKHARDI *Hermeneut. iuris.* (Lips. 1779.) *Lib. I. cap. VI.* §. 243. *pag.* 435.

ſumere debemus. Placet enim, quod vere non minus quam eleganter ſcripſit HEINECCIVS [80]) probari nempe non poſſe, quod vulgo pro certo adfirmant, TRIBONIANVM ſociis ſuis ita diſtribuiſſe penſa, vt vnus hunc, alius alium librum perluſtraret, eaque, quae eſſent notatu digniora, inde decerperet: hinc poſtea ſiue TRIBONIANVM ſiue alium quemcumque centones hos conſuiſſe, & ſub certos retuliſſe titulos: Quid igitur, ſi excerpta illa fragmenta prius expenderint tot viri docti, &, an locum in nouo hoc Pandectarum corpore mereantur, de totius collegii ſententia ſtatuerint? Quid ſi ea, quae in ordinem redacta, digeſtaque ſunt, plures deinde recognouerint, limamque ſeueriorem, pro eo ac decet, adhibuerint? Vix enim ferendum eſt, nos hodie tot viris doctis abſurdam adfingere excerpendi rationem, tantum vt opus ab iis perfectum, imperfectiſſimum eſſe, aliis perſuadeamus. Quidni potius meliora ſperemus de viris doctis & prudentibus, eosque rationem componendi huiusmodi opus optimam ac perfectiſſimam elegiſſe, credamus.

§. XIV.

80) in *Opuſcul. minorib.* pag. 279.

§. XIV.

Continuatur.

Sed ipſum etiam fragmentum non adeo foeda maculatum eſſe ignorantia, vt ſingulae fere lineae vel operoſa & ingenioſa interpretatione vel emendatione egeant, cuilibet, accuratiori mentis trutina illud examinanti, in oculos incurret, inuenietque, plerisque in locis, vbi nihil niſi *παροράματα*, *ἀνιστορησίας* & *ἀναχρονισμοὺς* crepant interpretes, fluctus in ſimpulo ſaepiſſime excitantes, adeo amice conſpirare cum ceteris rei Romanae ſcriptoribus, recteque ſe adeo habere omnia, vt a plerisque *Enchiridii* emendationibus plane abſtinere, atque POMPONIVM fere, vti iacet, explicare poſſit [81]. Verum quidem eſt, neque enim is ego ſum, qui negare id velim, hocce fragmentum nonnunquam vel a LIVII, vel a DIONYSII, vel aliorum, quos hodie legimus, veterum ſcriptorum narratione diſcrepare, num tamen ideo ſtatim foedam Epitomatori ignorantiam atque *ἀνιστο-*

81) egregia huiusmodi explicationum ſpecimina ediderunt V. C. I. L. E PÜTTMANNVS *Probabil. I C Lib. ſing. cap. VI. pag. 51 ſeqq.* & *cap. XII. §. 6 p 94 ſeqq.* A. Fr. SCHOTT *Vindiciis* POMPONII de *materia XII. Tab. ad c. II. §. 4.* Π. de O. I. v BYNCKERSHOECK in *praetermiſſis ad L. 2.* D. *de* O. I. aliique.

ἀνιςορησίαν exprobrandam exiſtimabimus? Potuitne ſuos auctores habuiſſe POMPONIVS, multo forſan locupletiores, qui perierunt iam dudum, remque, vti fieri ſolet, paullo aliter, quam alii retulerunt? Audi, quaeſo, quod ſcripſit *Io. Guil.* HOFFMANN [82]): *Non deſerendos exiſtimauerim ICtos noſtros, vbi iurium, quae interpretantur, origines indicant: —— niſi error euidenter demonſtretur – & licet etiam citarentur nobis teſtes, quorum ipſa verba – ICto refragentur, tamen in dubio tunc vincerent noſtri, quos vt nata ſint reipublicae ſuae iura, vt adoleuerint, vt ad eam, qua ſuis temporibus gaudebant, formam peruenerint, multo quidem melius intellexiſſe praeſumimus, quam rei Romanae ſcriptores Graecos & Latinos, vbi de Legum ratione & origine loquuntur, ſaepenumero grauiter hallucinantes.* Neque tamen ideo POMPONII fragmentum ab omnibus vitiis erroribusque abſoluo. Ipſe locus noſter, ex *Enchiridio* ſupra decerptus, exemplum nobis praebet erroris manifeſti, in quo TARQVINIVS ille SVPERBVS, ſub quo PAPIRIVS inter principales

82) in *Obſeruat. variis ad Librum III. Pandectar. Francof. ad Viadrum 1734. Inter diſſertat.* EIVS *publicas hebdomatal. IVta. §. III.*

pales uiros fuerit, *Demarati Corinthii filius* fuiſſe perhibetur. Vnde Tu vero haec ſtatim foedae Epitomatoris ignorantiae tribuenda putabis? Labine potuit POMPONIVS ipſe, qui in recenſendis memoriae veteris rebus, origine repetita ab ipſis reipublicae Romanae incunabulis, tam multa dixit brevi compendio. *Pomponium alicubi fuiſſe lapſum, non tam miror,* ſcribit *van* BYNCKERSHOECK [83]), *quam mirarer, nullibi fuiſſe lapſum.* Cogita enim, de veteri Romanorum aeuo quid TITVS dixerit LIVIVS [84]) *Et ſingulorum geſta, & publica monumenta rerum confuſa, nec quisquam aequalis temporibus illis ſcriptor extat, quo ſatis certo auctori ſtetur.* Ideo tamen POMPONIVM valere ſi iubes, resque ſuas ſibi habere, de fide hiſtorica ilicet actum eſt; diſertim enim profitetur FLAVIVS VOPISCVS [85]), ipſum ſe dixiſſe IVNIO TIBERIANO, *neminem ſcriptorum, quantum ad hiſtoriam pertinet, non aliquid eſſe mentitum: prodiiſſe quin etiam, in quo* LIVIVS, *in quo* SALV-

83) in *praefat. Praetermiſſis* EIVS *ad* L. 2 D. *de* O. I. praemiſſa penes VHLIVM *in Opuſc.* cit. pag. 230.

84) *Lib. VIII. cap.* 40. *in fine.*

85) in *Diuo Aureliano cap.* 2. inter *hiſt. Auguſt. Scriptores ſex. Lipſ.* 1774. editos p. 370.

SALVSTIVS, *in quo* CORNELIVS TACITVS, *in quo denique* TROGVS *manifestis testibus conuincerentur*, Qui autem in quibusdam & raro errauit, num ille nusquam fidem meretur? Liceat hic meum facere, quod egregie ſane BALDVINVS [86]) ita hac de re diſſerit: *Fieri profecto vix poteſt, quin aliquid falſi in hiſtoriarum monumenta irrepat. Sed nimis illi, non iam dico moroſi, ſed importuni & intemperantes cenſores ſunt, qui ſtatim atque quippiam eius generis in aliquo ſcriptore notare poſſunt, totum ſcriptorem ſuperbe atque faſtidioſe reiiciunt. Non ſecus atque, qui aliquem in pulchro alioqui corpore naevum deprehendunt, totum illud corpus, tanquam deforme & foedum cadauer, conſpuunt, ſepeliendumque & obruendum impotenter clamitant.* Qua parte igitur libris hiſtoricis vel chronicis falſae narrationes inſperſae ſunt, ea parte fides eorum vacillat. *Neque enim*, vt dudum obſeruauit *Io.* EISENHART [87]): *in toto volumine hiſtorico facile locum inuenit, quod falſum in vno, in ceteris fidem perdat.* Ceterum nec ipſa etiam exempla, abs Te prolata, quae deprimendae eius fidei cauſſa, de

86) *Inſtit. hiſtor. p. 12.*

87) in Comm. *de fide hiſtorica. Helmſt. 1702. cap. IIX. §. 6. pag. 88.*

de loco fragmenti ipſo, in quo de noſtro *iure ciuili Papiriano* agitur, depromſiſti, tanti ſunt, vt detrahere auctoritatem illi poſſent, quibus tamen heic non immorabor, quia infra, quando ſingulas *Iuris Ciuilis Papiriani* controuerſias ipſas pertractabo, melior diluendorum illorum dabitur locus. Equidem itaque, etſi egregios ſane Viros auctoritate Tua tuam in ſententiam pellexiſti, impetrare tamen ab animo meo haud potui, vt Tibi ſubſcriberem. Lex potius perpetua mihi haec eſto: *Pomponium ne deſeras, vsque dum eum lapſum fuiſſe, euidentiſſime poſſit demonſtrarier.* Quam quidem legem in adornanda *Iuris Ciuilis Papiriani* hiſtoria eo magis ſequar, quo minus idonea ſatis ſubeſſe videatur ratio, quapropter fragmentum ex *Enchiridio S.* POMPONII ſupra propoſitum plane abiiciendum eſſe exiſtimaremus, locumque *Dionyſianum* vnice in noſtra hiſtoria ceu claſſicum ſequi vellemus, quem ne quidem de *Iure Ciuili Papiriano* noſtro agere, euidentiſſimis rationibus ſupra docuimus. Quod enim fragmentum illud Pomponianum foeda Epitomatoris indocti ignorantia maculatum cenſeant, gerrae, vt vidimus, Siculae ſunt, ac nunquam probari poterit, poteſt ne quidem praeſumi. Deinde etiam

etiam ex iis, quae ſupra contra PAPIRII duplicatores §. *X.* & *XI.* prolixe diſputauimus, abunde patet, diſſenſioni, quam DIONYSIVM inter atque POMPONIVM ſomniant, praeterquam in PAPIRII praenomine, locum relinqui omnino nullae, & haec certe tanti non eſt momenti, vt ideo *fragmenti* POMPONIANI fidei aliquid detrahamus, quam ne quidem RITTERVS ipſe putauit labefactandam, ſi cum ſcriptoribus rerum romanarum fide dignis conſentiat, & quidni etiam, ſi ſaltim illis non repugnet? Cauſſa POMPONII ſic perorata, hiſtoriae *iuris ciuilis Papiriani* filum reſumo, de eius *Auctore* primum acturus.

SECTIO III.

§. XV.

De IVRIS CIVILIS PAPIRIANI *auctore, simulque de gente* PAPIRIA *quaedam.*

Legum regiarum compilatorem PAPIRIVM fuisse, Pontificem Maximum, audiuimus. Fuit ICtorum Romanorum primus, qui, POMPONIO [1]) teste, maximae dignitatis apud populum Romanum fuerunt, quae quidem cui potius, quam clarissimis eius de legum Regiarum restitutione meritis tribuenda sit, non video. Natus est ex gente, in qua Ius Ciuile tamquam familiare habitum, & velut gentilitium excultum est, originis omnino antiquissimae [2]). Quot viros

1) *L.* 2. *§.* 35. & 36. D. *de* O. I.

2) De gente *Papiria* consuli, si placet, possunt *Ant.* AVGVSTINVS & *Fulv.* VRSINVS *de Rom. gentibus & familiis.* Lugd. 1592. p. 96. seqq. & *p.* 143. *Richard* STREINNIVS *de gentibus & famil Rom in Tom. VII. Thes. Antiq Rom. Graev. p.* 1100 seqq. *Io.* VAILLANTII *nummi antiqui Familiar. Rom.* Amst. 1703. Vol. 2. p. 203 seqq. porro *Familiae Rom. per Car.* PATINVM. *Lut. Paris.* 1663. praecipue autem splendidissimus ille *Thesaurus Morellianus s. Familiar. Rom. numismata omnia cum commentar. Siegeb.* HAVERCAMPI *Amst.* 1734. *Tom. II. p.* 311.

viros enim ea produxit, iuris doctrina insignes, qui instaurandae non tantum iurisprudentiae [3]), sed legibus etiam ferendis [4])

 egre-

p. 311 seqq. quem in omnibus fere, quae in hac vrbe nostra extant, bibliothecis, etiam locupletissimis, frustra quaesitum, tandem adhuc in splendida illa, multisque raris & elegantibus libris ex omnibus Scientiarum partibus instructa bibliotheca Generosissimi & Illustrissimi Viri *de* MADAI, Medicorum nostrae aetatis facile Coryphaei, inveni, qui Thesaurum hunc mihi subministrare non dubitauit, cui Viro prorsus egregio pro insigni hac humanitate non possum non debitas gratias publice hic agere.

3) Sic libera respublica vidit *Sextum* quendam PAPIRIVM, *Q.* MVCII auditorem praecipuae auctoritatis, cuius POMPONIVS in *L.* 2. *§.* 42. D. *d.* O. I. meminit. Fuit porro PAPIRIVS quidam FRONTO ICtus, cuius responsa laudat CALLISTRATVS in *L.* 220. *§.* 1. D. *de* V. S. & *L.* 4. *§.* 2. *in fine* D. *de Lege Rhod. de iact.* meminit etiam eius MARCIANVS in *L.* 40. *pr.* D. *de peculio*, quod eleganter dixerit, *peculium simile esse homini*, quia nascitur, crescit, decrescit, moritur. Indeque *Guil.* GROTIVS in *Vitis ICtor. quorum in* Π. *extant nomina.* Lib. II. c. 11. §. 6. p. 168. eum vel ante, vel circa SEVERI *Imp* tempora vixisse coniicit. Praecipue vero Antoninorum aetas vidit PAPIRIVM quendam IVSTVM ICtum, quem Divorum Fratrum constitutiones in XX. libris complexum esse, ex fragmentis constat, quae ex iis in Π. supersunt. vide WIELING. *iurispr. rest.* p. 157 seq.

4) Multarum omnino *Papiriarum* legum memoria extat apud Veteres. Sic *A. V. C.* 324. lex quaedam

egregiam nauarunt operam! Fuit autem *Papi-*

dam PAPIRIA IVLIA *de mulctarum aestimatione* a C. PAPIRIO CRASSO & L. IVLIO VOPISCO Coss. lata. LIVIVS *IV. 30. pr.* PIGH. *Annal. P. R.* T. I. p. 182. *A. V. C.* 422. lex alia PAPIRIA a L. PAPIRIO praetore lata est, *qua ciuitas Acerranis, sed sine suffragio, data.* LIVIVS *VIII. c. 17. in fin.* *A. V. C.* 428. Lex PETILLIA PAPIRIA *de obaeratis debitoribus* C. PETILLIO LIBONE VISOLO *II.* & L. PAPIRIO *Mugillano* Coss. lata. LIV. *VIII. 28. in fine*, ad quam Legem doctissima extat *Io. Wend.* NEVHAVSII *dissertatio Lips. 1739.* edita. Nota porro est Lex quaedam PAPIRIA *de sacrosanctis agris* s. *de consecratione*, quam veterem tribuniciam vocat CICERO *pro domo c. 49.* quae Q. PAPIRIO *Turdo* Trib. pleb. vulgo adscribitur, lataque esse dicitur *A. V. C. 449.* PIGHIVS T. I. *annal. p. 376.* Sed neque de auctore, neque de vera eius aetate liquet. Est & alia lex PAPIRIA *de Sacramento* s. *de Treuiris capitalibus quotannis a Praetore vrbano creandis*, L. PAPIRIO *Turdo* tribuno plebis vulgo tributa, atque *A. V. C. 464.* M VALERIO CORVINO & Q. CAEDICIO NOCTVA Coss. lata, cuius tenorem nobis seruauit FESTVS v. *Sacramentum.* PIGHIVS *Tom. I. Annal. Lib. V. p. 405.* Huius tamen Legis quis auctor fuerit ille L. PAPIRIVS, & quando vixerit, tam incertum est, quam quod maxime: vide hic omnino *Io. Frid.* SCHREITERI diss. *de Sacramentorum in veteris Rom. iudiciis solemnium antiquitatibus Lips.* 1740. §. VII. not. c. Incertae etiam aetatis atque auctoris est Lex illa PAPIRIA *monetaria* s. *de assibus*, cuius mentionem fecit PLINIVS *XXXIII. 3.* Celeb. NEVHAVS diss. cit. *§. 11.* eam adscripsit C. PAPIRIO CARBONI Trib. pl. eamque *A. V. C. 563.* L. CORNELIO

SCI

Papiria gens, *Papisia* [5]) olim cum sibilo dicta, duplex, altera patricia, altera plebeia, distinctae cognominibus. Patricia, quam, etsi vetustam, minorum tantum gentium [6]) fuisse

SCIPIONE & C. LAELIO NEPOTE Coss. latam asserit, sed quanam ex auctoritate? nescio. Certior est Lex PAPIRIA *tabellaria* s. *de suffragiis A. V. C. 622.* a C. PAPIRIO CARBONE Trib. pleb. lata, cuius meminit CICERO *de Legib. Lib III. c. 16.* Eiusdem CARBONIS foetus est Lex PAPIRIA *de Tribunis plebis reficiendis* eodem anno editus, sed haud perfectus, dissuadente nempe P. AFRICANO lex haec antiquata est, quamuis GRACHVS e contra suaderet rogationem, sed SCIPIO tenuit, vti narrat LIVIVS *Epit. 59.* adde CICERONEM *de amicit. c. 25.* conf. *Ant.* AVGVSTINVM *de Legibus.* p. 115 seqq. (edit, *Paris.* 1584.)

5) CICERO *Epist. ad Diuers. Lib. IX. Epist. 21.* qui omnes olim PAPIRIOS vsque ad L. PAPIRIVM CRASSVM, qui annis post *R. C. CCCCXV.* Dictator, & quadriennio post cum *C.* DVILIO consul factus erat, dictos esse PAPISIOS asserit.

6) Erant nempe inter ipsos patricios alii *maiorum*, alii *minorum gentium.* Illae enim familiae, quae a Patribus a ROMVLO lectis descendebant, *patriciae maiorum gentium*, illae vero, quae ex ciuibus, post Romulum inter patricios cooptatis, prognatae erant, *minorum gentium* dicebantur. v. *Ern. Mart.* CHLADENIVS V. C. *de gentilitate vet. Rom c. XI. §. 1. p. 127.* Notum est nempe, ROMVLVM ducentos creasse Senatores. Nihil in illorum numero innouatum ad TARQVINIVM vsque PRISCVM, qui, vt firmaret regnum, quod ambitiose capesserat, atque nonnullos beneficiis ob-

fuisse tradit CICERO [7]) libertatis Reip. tempore *Mugillanorum*, *Crassorum*, *Cursorum*, & *Massonium*; gens e diuerso plebeia *Carbonum* & *Turdorum* gaudebat cognominibus, quibus se etiam adscripserat PAPIRIVS PAETVS, qui, rerum omnium, quae ad gentem suam pertinebant, plane expers, neminem vnquam PAPIRIVM, nisi plebeium, fuisse

obstringeret, quos suos esse vellet, ex praestantissimis plebeiorum familiis centum adhuc in Patres legit. Priores, quoscumque ROMVLVS creavit, TACITO teste *Annal. XI. 25.* dicti sunt *Senatores maiorum gentium.* Posteriores, quoscumque PRISCVS legit, dicti sunt *minorum gentium*, vt LIVIVS *Lib. I. c. 35* adfirmat, idque nomen auctore TACITO *c. l.* tenuerunt etiam illi, quos BRVTVS ex Equitibus adlegit, ad explendum Senatorum a *Superbo* occisorum numerum, hac tamen cum differentia, vt & illi LIVIO *II. 1.* teste *Patres Conscripti* fuerint nominati. Nec obstat, quod TACITVS *minorum gentium* appellationem BRVTO adscribat. Id enim Scriptoribus familiare, vt posteriori aliquid adscribant, quod iam antea constitutum fuerat, sed deinceps renouatum est. Vid. *Henr Ioan* ARNTZENII *miscellaneorum libr. c. 1. p. 11* seq.

7) *Epist. excit. 21* in *Lib IX ad Diuers* locum hunc integrum ex T. POMPON. ATTICI libris Originum depromtum fuisse, VOSSIVS pater *de philol. c. 13.* existimat, motus loco *Corn* NEPOTIS in *Attico c. 18.* cfr. *G* SCHVBARTI *Exerc. de Fatis iurispr Rom Exerc I § 41. pag. 86.* & *Iac.* PERIZONII *Animaduers historic. cap. III. p. 94.* (*ed. Harles. Altenb. 1771.*)

fuisse contendebat, merito tamen a TVLLIO notatus, cum tot Dictatores, Censores, Consules, Equitumque Magistros papiriae gentis exhibeant Fasti, illis praecipue temporibus, quibus nulli, nisi patricio, ad hos honores dabatur aditus. Patriciorum omnino multi insignes viri, & qui ab ipsis initiis libertatis ad annum DXXIII. annis trecentis fere clarissimi floruerunt. Plebeii autem, *Carbones* praecipue, viri seditiosi, & partium minus bonarum habiti sunt extremis Reipublicae temporibus, quibus iam omnia bellis ciuilibus, & ambitione, ac dominandi cupiditate flagrabant, vti CICERO Paeto suo narrat. Sed operae omnino pretium est, vt ipsa eius verba recognoscamus hac in re classica: *Sed tamen, mi* PAETE, sic scribit ad eum, *quid tibi venit in mentem negare,* PAPIRIVM *quemquam vnquam, nisi plebeium fuisse? Fuerunt enim patricii minorum gentium, quorum princeps* L. PAPIRIVS MVGILLANVS, *qui consul cum* L. SEMPRONIO ATRATINO *fuit, cum antea censor cum eodem fuisset, annis post Romam conditam CCCXII. Sed tum* PAPISII *dicebamini. Post hunc XIII. fuerunt sella curuli ante* L. PAPIRIVM CRASSVM, *qui primum* PAPISIVS *est vocari desitus. Is dicta-*

 tor

tor cum L. PAPIRIO CVRSORE, *magistro equitum, factus est, annis post Romam conditam CCCCXV. & quadriennio post consul cum C. Duilio. Hunc secutus est* CVRSOR, *homo valde honoratus: deinde* L. MASSO, *aedilicius: inde multi* MASSONES: *quorum quidem tu omnium patriciorum imagines habeas, volo. Deinde* CARBONES, *&* TVRDI *insequuntur. Hi plebeii fuerunt: quos contemnas, censeo. Nam praeter hunc* C. CARBONEM, *quem Damasippus occidit, ciuis e republica,* CARBONVM *nemo fuit. Cognouimus Cn.* CARBONEM, *& eius fratrem scurram: quid his improbius? de hoc amico meo, Rubriae filio, nihil dico. Tres illi fratres fuere,* C. CN. M. CARBONES. MARCVS *P. Flacco accusante, condemnatus, fur magnus ex Sicilia:* CAIVS, *accusante L. Crasso, cantharidas sumpsisse dicitur. Is & tribunus plebis seditiosus, & P. Africano vim attulisse existimatus est.* etc. Si vero nunc quaeritur, quanam ex gente noster *Iuris Ciuilis Papiriani* ordinator fuerit, extra omnem quidem dubitationis aleam positum videtur, eum patriciae PAPIRIORVM genti adscribendum esse, cum POMPONIO teste, *ex principalibus Viris*, DIONYSIO autem sponsore *Pontifex Maximus* fuerit, qualem ab initio rerum

rerum Romanarum vsque circa A. V. C. quingentesimum semper esse patricium oportuisse, iam supra obseruauimus, sed ad quam tamen familiam noster PAPIRIVS pertinuerit, assiduo destituti testimonio, definire non audemus, rem rati desperatam. Verum enim vero haud leuem nodum hic CICERO [8]) nobis constrinxit, *principem* i. e. primum PAPIRIORVM patriciorum genitorem statuens L. PAPIRIVM MVGILLANVM, qui *A. V. C. CCCX.* consul cum L. SEMPRONIO ATRATINO fuit, cum tamen hoc multo antiquiores, eosque honoratissimos illius gentis viros, Roma generaverit, Regibus adhuc subiecta, & tantum quod ab iis liberata, nostrum scilicet *iuris Papiriani* conditorem, ICtorum vrbis Romae primum, qui nomen suum perpetuae commendarunt memoriae, virumque, qui TARQVINII SVPERBI temporibus iam inter praecipuos vrbis ciues fuit; & *Manium* illum PAPIRIVM, etiam Patricii generis, qui statim post reges exactos primus Romae Rex sacrorum constitutus est: vt DIONYSIVS [9]) refert. Sed forsan non subiit CICERONI, cum haec scriberet, Papiriorum istorum no-

8) in *Epist.* saepe laudata.
9) *Lib. V. c. 1. p. 278. ed. Sylburg.*

men & honores. Neque id mirum, cum eadem PAETVM fugerint ex *Papiriis* ortum; & quo impensius id mireris, scito, PAPIRIVM illum *Paetum* apprime doctum fuisse, atque alio loco [10]) a CICERONE cum *Graniis*, *Luciliis*, *Crassis* & *Laeliis* comparari [11]).

§. XVI.

Variae doctorum virorum de praenomine PAPIRII *coniecturae perpenduntur*, & primum *quidem sententia eorum, qui illum dictum esse* CAIVM *censent*, *horumque simul emendationes*, *in* FRAGMENTI POMPONIANI *§pho* 2. *tentatae*, *proponuntur*. RVPERTI *crisis exploditur*.

Quum vero genti *Papiriae* certa quaedam praenomina maxime vsitata fuerint, ad distinguendos ab inuicem fratres, qui eodem nomine gentilitio gaudebant: sic enim patricia PAPIRIORVM gens produxit, vt tum fasti Consulares, tum veteres Scriptores testantur, *Manios*, *Caios*, *Marcos*, *Spurios*, *Sextos*,

10) *Lib. IX. Epistol. ad Diuers. Ep.* 15.

11) Sic mecum incuriam TVLLII hac quidem in re etiam *Herm* CANNEGIETER in *Obseru. I. R. Lib. I. c* 15. *p* 100. *Iac.* PERIZONIVS *in Animadv. hist. c. II. p* 91. & *c. III p.* 99. nec non *Bern.* RVTILIVS *in Vitis ICtor. c. I in fine.* penes FRANCKIVM *in Vit. tripart. ICt. Vet. p.* 3. recte notarunt.

Sextos, inprimis autem *Lucios*; plebeia autem *Caios*, *Cneios* & *Marcos*, *Quintos* & *Lucios* habuit; oritur iam quaeſtio, quonam *Iuris Ciuilis Papiriani* ordinator praenomine fuerit inſignitus? Verum illud, vti iam ſupra vidimus, diuerſimode profertur a Veteribus: DIONYSIVS enim PAPIRIVM noſtrum praenomine *Caium*, POMPONIVS autem mox *Sextum* mox *Publium* eum appellat. Mira hinc nata ſententiarum diuortia, &

Quot homines, tot ſententiae: Suus cuique mos.

Sunt, qui, DIONYSIVM ſecuti, *Iuris civilis Papiriani* compilatorem dictum eſſe praenomine *Caium* cenſent, *C. A.* RVPERTVS [12]) nempe, *I. G.* HEINECCIVS [13]), *I. D.* RITTER [14]), *I. A.* BACHIVS [15]), *C. A. de* MARTINI [16]), *B. G.* STRVVIVS [17]), *C. G.* KNOR-

12) *Animadverſ. in Enchirid. Pompon. de O. I. Lib. III. cap 2 p. 153.*
13) *Hiſtor. Iur. Civ. Lib. I. c. 2. §. 16.* & in *Obſ. hiſt. de iure Papiriano §. 6.* nec non *in praef Opuſc. ad Hiſt. Iur. pertinentibus ab* VHLIO *collectis* praemiſſa *p.* 57.
14) *ad* HEINECCII *Hiſt. Iur. Civ. Lib. I Cap. 2. §. 17. p. 33.*
15) *Hiſtor. Iurispr. Rom. Lib. I. cap. I. Sect. 2. §. 6. pag. 11.*
16) *Ordo hiſtor. Iur. Civ. Cap. II. §. 18. p. 38.*
17) *Hiſtor. Iuris Rom.* etc. *Cap. I. §. 5.*

KNORRIVS [18]), *C. F. I.* SCHORCH [19]) aliique: & hi quidem de morbo POMPONII conſpirant omnes, de medicina non aeque. RVPERTVS [20]), vt priſtinae POMPONIVM ſanitati reſtituat, in ſecundo huius Fragmenti §pho, in quo praenomen *Sexti* PAPIRIO noſtro tribuitur, vna literula mutata, legendum coniectat: *quae omnes conſcriptae extant in libro ſexto Papirii.* Plures enim haud dubie *de rebus romanis* eum libros ſcripſiſſe, & *in ſexto* quidem congeſſiſſe *leges regias*, opinatur. Vt autem POMPONIVM heic ita ſcripſiſſe credat, faciunt libri quidam manu exarati, in quibus pro *Sexti* hanc notam *VI.* reperiri, CVIACIVS [21]) refert, quae forte mendum peperit, quod huic loco ineſt. Atque ſic oſtendit, hac nota non tam praenomen PAPIRII, vti indocti librarii crediderunt forſan, quam numerum ipſius libri indicari. RVPERTO, aut, qui potius auctor dicendus eſt huius coniecturae, CV-

IACIO

18) *Obſeruat. ad Prooem. Inſtitut. F. Iuſtiniani Imp. Obſ. I. not. 1. p. 5*

19) *Delineat. hiſtor. Iur. Civ. Cap. I. Sect. I. §. 28. p. 13.* (Goth. & Goett. 1766.)

20) *Animadv. in Enchirid. Pomp. de O. I. Lib. I. c. 3.* penes VHL. *p. 60*

21) in *Comm. ad Pomponii L. 2. §. 2.* D. *de* O. I. penes VHLIVM *in Opuſc. pag. 4.*

IACIO adſentiuntur HEINECCIVS & KNORRIVS. Subſcribunt etiam huic emendationi *Io. Henr.* MOLLENBECIVS [22]) *G.* SCHVBARTVS [23]) *N. H.* GVNDLINGIVS [24]) *Henr.* BRENCMANNVS [25]) *C. van* BYNCKERSHOECK [26]) & *Chr. God.* HOFFMANNVS [27]). *At vero*, quod recte contra hanc lectionem iam monuit Cel. *Herm.* CANNEGIETERVS [28]), *ſi plures libros* PAPIRIVS *ſcripſit, atque in eorum ſexto Regum conſtitutiones propoſuit; quid eum in prioribus quinque tradidiſſe dicemus? hiſtoriam, an populi Romani iura? non enim video, quid praeter eas duas cauſſas conuenerit per id tempus operi iſti, in quo Regum leges exhibebantur. Verum hiſtoria tradi non potuit, quia* LIVIVS [29]) *ſcribit,* FABIVM PICTOREM, *qui teſte* VOSSIO [30]) *vixit*

22) in diſp. *de iure Papiriano §. 12.*
23) *de Fatis iurisprud. Rom. Exerc. I. §. 40. p. 84.*
24) in *Protis Digeſtor. Lib. I. Tit. 2. §. 5. p. 9.*
25) vide *Corpus Iuris Rom. Gebauerian.* ad *L. 2. §. 2.* D. *de* O. I.
26) in *Praetermiſſ. ad* L. 2. *§.* 2. D. *de* O. I. penes VHLIVM in *Opuſc.* p. 234.
27) in *Hiſtor. Iur. Rom. Vol. II. P. I. Sect. VIII. §. 1. p. 63 (ed. Lipſ. 1726.)*
28) *Obſerv. Iur. Rom. Lib. I. c. 15. p. 99.*
29) *Lib. I. cap. 44.*
30) *de Hiſtor. Rom. Lib. I. cap. 3.*

vixit bello Punico secundo, antiquissimum fuisse ex populo Romano Historicum. Adde, neminem veterum meminisse historiam eam PAPIRII, *cum illi aliorum historias crebro meminerint. Et quis credat,* FABIVM PICTOREM *secuturum fuisse* DIOCLEM PEPARETHIVM, *qui ex Graecis primus res Romanas scripsit, & quem* FABIVS PICTOR, *teste* PLVTARCHO [31]) *secutus est, si homo Romanus esset, vir principalis, & inprimis peritus, qualem eum fuisse scribit* POMPONIVS, *quem consulere posset. Nec verius est,* PAPIRIVM *in libris suis iura Romanorum explicuisse, quod omnes ante* TIBERIVM CORVNCANIVM *in latenti ius ciuile retinuerint,* teste POMPONIO [32]). Sed quid multa? POMPONIVS ipse in nostro Fragmento hastas nobis amentatas subministrat, quas bonis lacertis torquere contra RVPERTVM possumus. Hic enim perspicue satis, *is liber*, inquit, *vt diximus, appellatur ius ciuile Papirianum, non quia* PAPIRIVS *de suo quicquam ibi adiecit, sed quod leges sine ordine latas in vnum* com-

31) in *Romulo p.* 22. Sed vide hic *Iac.* PERIZONIVM *in diss. VII. de republica Rom.* §. XI. Inter EIVS *dissertationes Septem* L. B. 1740. *cura* HEINECCII *editas. p.* 703 seqq.

32) *L.* 2. §. 35. D. *de* O. I.

compoſuit: quibus verbis Sole clarius indicavit POMPONIVS, vnum duntaxat librum compoſitum fuiſſe a PAPIRIO, eumque, praeter leges regias, eo digeſtas, comprehendiſſe omnino nihil.

§. XVII.

Continuatur, Sententiaque HEINECCII *atque* HOFFMANNI *examinatur.*

Haec itaque dubitatio ex emendatione *Rupertiana* emergens, permagna ſane, varias, ad eam tollendam, peperit Doctorum hariolationes. *Ill.* HEINECCIVS[33]), etiam membranis adductus, in quibus *in libro VI. Papirii* inuenerat CVIACIVS, fingit, PAPIRIVM *ſex* vulgaſſe *libros*, quibus propoſuerit leges regias atque digeſſerit, belliſſimeque diuinare audet, libros *quinque priores* non niſi ius pontificium, *Sextum* autem *tantum* ius ciuile a regibus conſtitutum comprehendiſſe; hincque coniicit, noſtram PAPIRII collectionem *ius* praecipue *Pontificium*, cuius conſeruatio maxime ad Pontificis Maximi officium pertinebat, eſſe complexam, reliquas autem leges forſan inſtar adpendicis fuiſſe additas. *Chriſt. Godofr.* HOFF-

33) in *Obſ. hiſt. de iure Papiriano* §. IX. addito §. VII. *in fine* & in *hiſt. Iur. Civ. Lib. I. c.* 2 §. 16.

HOFFMANNVS [34]) e contra *ſextum* voluminis *Papiriani* librum NVMAE poſteriorumque Regum leges continuiſſe, ſibi perſuaſit. Sed neuter diſſipauit nubeculam. *Audax enim*, vti eleganter RITTERVS iam obſeruauit [35]) HEINECCII *coniectura plane repugnat fragmento* POMPONII, *quo laudantur primo Reges, quod leges tulerint, deinde celebratur* PAPIRIVS, *ob ſolam legum regiarum collectionem, porro dicitur*, omnes leges, *non ciuiles tantum, ſed & ſacras, quales Reges plures tuliſſe conſtat, collegiſſe* PAPIRIVM *libro ſingulari; tandem additur*, is liber appellatur Ius Papirianum. *Igitur ſi* omnes leges *continuit* Sextus liber, *quid quinque prioribus tradere potuerit* PAPIRIVS, *non video.* Fraudi ſine dubio Viro egregio fuit *iuris ciuilis Papiriani* nomen, quo non totum illud *Papirianum* volumen, ſed librum eius tantummodo *ſextum* [36]), quippe quem ſolas *leges* Regum *ciuiles* comprehendiſſe putat, quum ſcilicet reliqui *ius pontificium* potius complecterentur, deſignatum fuiſſe arbitratur. Verum quis eſt, qui verba POM-

34) *Hiſtor. Iur. Rom. Vol. II. P. I. Sect. VIII. §. 2. p. 64.*

35) ad HEINECCIVM *in not ad §. 17. p. 31.*

36) *Obſeru. hiſt. de iure Papir. §. X. pag. 11.*

POMPONII: *is liber, vt diximus, appellatur* IVS CIVILE PAPIRIANVM, *non quia* PAPIRIVS *de ſuo quicquam ibi adiecit, ſed quod leges ſine ordine latas in vnum compoſuit*, accurata mentis trutina perpendens, non ſtatim intelligat, totam PAPIRII compilationem, non *librum* eius tantum *ſextum*, IVS CIVILE PAPIRIANVM fuiſſe inſcriptum; vt taceam, nullam prorſus idoneam ſubeſſe rationem, quapropter POMPONIVS de legibus regiis, earumque collectione a PAPIRIO concinnata generatim, non de *legibus* Regum *ciuilibus tantum* agens, ſolius *Sexti* Papirianae collectionis libri feciſſet mentionem, eiusque inſcriptionem tam accurate deſignaſſet, qui tamen, vt ipſe fatetur HEINECCIVS, reliquis tantum tamquam mantiſſae loco fuerit adiectus, operisque adeo *Papiriani* minima fuiſſet particula. Sed quae coniecturam hanc *Heineccianam* premunt dubia, eadem & omnia obſtant HOFFMANNO. Quis quaeſo credat *primum*, tantam fuiſſe legum ROMVLI molem, vt quinque priores libros ipſae compleuiſſent, leges vero NVMAE Regumque poſteriorum, quarum tamen etiam ſat magnus fuit cumulus, in ſexto omnes PAPIRII libro conſcriptas extitiſſe? Sed fac etiam, verum id eſſe,

quod tu tam fidenter affirmas, mi HOFFMANNE! ne ſic tamen quidem RVPERTVM Tuum cum POMPONIO conciliabis. Hic enim *omnes* leges regias conſcriptas extitiſſe in libro *S.* PAPIRII ait, ergo omnes omnium Regum leges a ROMVLO ad SERVIVM vsque TVLLIVM; id quod vel ex hoc intelligi clare poteſt, quia POMPONIVS paullo ante expreſſe ROMVLI non tantum, quod *leges* quasdam & ipſe *Curiatas* ad populum tulerit, ſed & ſequentium Regum eo nomine mentionem fecerat: Iam vera ad momentum eſto lectio, quam adprobas, *Rupertiana: quae omnes conſcriptae extant in libro ſexto Papirii*, & ſine dubio *ſextus* iſte PAPIRII liber non ſolum NVMAE Regumque ſequentium leges, vt Tu credis, ſed & ROMVLI ipſas continuiſſet, ac nonne ita ſententia tua priſtinae ſemper dubitationi relinqueret locum, quid in quinque prioribus libris expoſuerit PAPIRIVS? Quae cum ita ſint, lubentius equidem adſtipulor BACHIO, RITTERO, CANNEGIETERO & PERIZONIO, qui coniecturam hanc *Rupertianam* explodendam plane & exſibilandam duxerunt; obſeruauit praeterea *Iacob.* PERIZONIVS [37]): *non ſolere* POMPONIVM *homines,*

37) *Animadv. hiſt. cap.* 2. *p.* 93.

mines, vbi primum eorum facit mentionem, vnico tantum appellare nomine, atque RITTERVS, vt auctoritati DIONYSII noui aliquid ponderis addat, in animum induxit ſuum, forte ſciolum quendam librarium, qui CVIACII Codicem deſcripſit, cum legiſſet *in libro G.* PAPIRII, τὸ *G.* notam eſſe numeri ſenarii ſiue ἐπίσημον Graecum putaſſe.

§. XVIII.

Hariolatio Fr. Car. CONRADI *repudiata.*

Aliam medicinam aegro ſuo POMPONIO parare tentauit *Fr. Car.* CONRADI [39]). Adductus etiam nota illa numerali *VI.* quam in Codicibus quibusdam manu exaratis vidiſſe ſibi viſus eſt CVIACIVS, exiſtimat nempe legi poſſe: *quae omnes conſcriptae extant in libros* SEX *Papirii*, leuiter immutata ſcriptura: quaſi ſingulis forſitan ſex libris collectae ac diſtinctae fuerint regis cuiusque leges, ad SVPERBVM vsque, quo regnante floruiſſe memoratur PAPIRIVS. Coniecturam

38) Confer hic etiam, quae Idem Vir Doctus de ἐπίσημο hoc Graeco Ϛ. ad *l.* GOTHOFREDI *Prolegom. ad Codicem Theodoſ. p.* 212. *not. x.* annotauit.

39) in *praefat.* C. *van* BYNCKERSHOECK *Praeterm. ad L.* 2. D. *de* O. I. praemiſſa penes VHL. *p.* 220.

ram suffulcit loco quodam MACROBII 40), apud quem *ex libro II.* GRANII LICINIANI de nundinis & de flaminica talia adferuntur, quae ad NVMAE aliquam legem notata, & eiusdem GRANII esse videntur, cuius etiam aliquid ad flaminicam pertinens laudatur apud FESTVM voce: *ricae.* Quodsi eundem, pergit, credimus GRANIVM LICINIANVM, atque GRANIVM FLACCVM, cuius liber *de iure Papiriano* citatur in *L.* 144. *D. de V. S.* & cuius aliud fragmentum extat apud MACROBIVM 41) vti id visum BERTRANDO & GROTIO *in vitis ICtorum:* GRANIVS in commentario suo sequutus est ordinem & partitionem *Iuris Papiriani*, ita, vt *libro II.* NVMAE leges illustrauerit. Sic ILLE quidem, quod mihi tamen minime probatur. *Primum* enim impedimento est maxime, quod dicat POMPONIVS: *Is liber, vt diximus, appellatur ius ciuile Papirianum,* quae verba procul dubio se referunt ad antecedentia: *in libro S. Papirii*, de quo paullo ante dixerat: & idem, si quid video, volunt, ac si POMPONIVS dixisset: *Is liber,* in quo leges regias conscriptas extitisse omnes, quemque a *Papirio* confectum esse modo dixi-

40) *Saturnal. I. Cap. 16.*

41) *Saturn. III. cap. 11.*

dixime[42]), vel vt *Greg.* MAIANSIVS [43]) ea interpretatur, *qualem descripsimus*, appellatur *ius ciuile Papirianum.* Sine omni itaque ratione Celeberr. RITTERVS in POMPONII Epitomatorem inuehitur, quod verbis: *vt diximus*, retentis, ea tamen, quae dixerat POMPONIVS, omiserit. Sed negat noster κϱιτικοτατὸς CONRADI impedimento esse verba POMPONII adducta, quum & partes operis plurali, & vniuersum opus singulari locutione commode designari possint, neque insolentem esse numeri in vna eademque oratione commutationem, & aliis exemplis constet, & BYNCKERSHOECKIVS etiam admonuerit 44). Verum quamuis ego non is sum, qui negare velit, *insolens non esse, per commutationem numeri*, vt eleganter BYNCKERSHOECKIVS scribit, *singulariter designatum, plurium numero occurrere in vna eademque oratione*, nam *L.* 40. *D. de reb. cred.* 45) &

42) Sic verba Pomponii interpretatus est etiam MVRETVS *ad L.* 2. *§.* 2. D. *de* O. I. *p.* 15. (ed. Francf. 1603.)

43) *ad Triginta ICtor. omnia Fragmenta, quae extant in iuris civ. corpore. Genev.* 1764 *T. II. p.* 231 *§.* 4.

44) ad *L. Lecta XL. D. de reb. cred. cap.* 12. in Ej. Operib. minor. Lugd. Batav. 1752. editis p. 78.

45) In qua quidem Lege primum pluralis locutio: *quidam dicebant*; occurrit, quam singularis nota: *vt ille putabat*, sequitur.

& *L. 29. §. 6. D. de lib. & post. hered. instit.* [46]) id satis superque demonstrant, valde tamen dubito, an in nostro fragmento partes operis *Papiriani* primum plurali, & paullo post opus vniuersum singulari locutione designaverit POMPONIVS. Obseruaui enim, solemne fuisse veteribus ICtis, in titulis operum suorum indicare numerum librorum, & si plures libros non habuerint, ea *libros singulares* s. Μονοβίβλια appellare; Index Florentinus multa tibi huius obseruationis exempla suppeditabit: inueni autem nunquam, veteres ICtos scriptum ex pluribus libris constans, titulo τȣ̃ μονοβιβλίȣ i. e. libri locutione singulari insigniuisse, quouis pignore itaque certare ausim, POMPONIVM pro *is liber* locutione plurali dicturum fuisse *ii libri*, si in antecedentibus *in libros sex Papirii* scripsisset, idque eo certius est, quo clarius verba, *vt diximus*, quae absque vllo dubio se referunt ad antecedentia: *in libro S. Papirii*, indicant, se antea etiam de vnico tantum PAPIRII libro dixisse. Deinde vero parum latine etiam dictum mihi videtur *in libros sex Papirii*, pro *in libris sex Papirii*,

46) Sic enim in hac lege *illis viuis* dictum esse pro *illo viuo* a BARTOLO iam atque CVIACIO ad *d. §.* animaduersum est.

pirii, neque purae POMPONII latinitati respondet, de quo *Bern. Henr.* REINOLDVS [47]) recte, *linguae Romanae*, inquit, *quam fuerit gnarus, is tantum ignorat, qui fragmenta eius nunquam inspexit. Quodque de ICtis veteribus in vniuersum dixit censor eorum rigidissimus* LAVRENTIVS VALLA: eorum orationis genere in breuitate summa nihil aptius, in dignitate rerum nihil elegantius esse, *id & de sermone* POMPONII *adfirmatur verissime:* & de quo non minus vere, quam eleganter HEINECCIVS [48]) scripsit ita: *Et primo quidem in fragmentis illis omnibus, quae in diffusum Pandectarum opus retulit* TRIBONIANVS, *non quidem adfectatam illam verborum elegantiam & venustatem, qua alii eius aeui scriptores orationem tamquam fuco illinunt, sed tanto maiorem vbique* PVRITATEM *perspicuitatemque deprehendimus, virtutes profecto orationis praestantiores, quam vulgus sibi persuadet, cui nulla oratio satis videtur elegans, nisi quae veluti calamistris intorta, mera vnguenta redoleat.* Quarti quidem casus pro *sexto* vsurpandi morem, haud egere putauit, vt multis probet, sed si vel

47) in *Opusc. p.* 524.

48) in *praef. Opusc. ad Hist. Iur. pertin. ab* VHLIO *collectis* praemissa *pag.* 20.

vel probasset, tamen ob modo adducta de pura POMPONII latinitate nondum exinde sequeretur, etiam σόλοικον illud POMPONIO fuisse familiare, nisi ex ipsis POMPONII fragmentis exempla protulerit. Nec denique etiam postremum Viri argumentum stringit, ex MACROBIO petitum. MACROBIVS enim in toto hoc *cap. XVI.* de vario dierum penes Romanos olim discrimine agens, in loco adducto vnice in eo est, vt sententiam suam, quod nempe nundinarum dies inter ferias retulerit, ab obiectionibus vindicet. Quam quidem ob rem sic ait[49]): *Quod autem nundinas ferias dixi, potest argui: quia* TITVS *de feriis scribens nundinarum dies non inter ferias retulit, sed tantum solemnes vocavit: & quod* IVLIVS MODESTVS *affirmat, Messala augure consulente pontifices, an nundinarum Romanarum nonarumque dies feriis tenerentur, respondisse eos, nundinas sibi ferias non videri: & quod* TREBATIVS *in libro primo religionum ait, nundinis magistratum posse manumittere, iudiciaque addicere. Sed contra* IVLIVS CAESAR *sexto decimo auspiciorum libro negat, nundinis concionem advocari posse, id est, cum populo agi: ideoque nundinis Romanorum haberi comitia non posse.*

COR-

49) *pag.* 232 *seq.* (*ed. Paris.* 1585.)

CORNELIVS *etiam* LABEO *primo fastorum libro nundinis ferias esse pronunciat. Caussam vero huius varietatis apud* GRANIVM LICINIANVM *libro secundo diligens lector inueniet. ait enim, nundinas Iouis ferias esse, siquidem flaminica omnibus nundinis in regia Ioui arietem soleat immolare; sed lege Hortensia effectum, vt fastae essent: vti rustici, qui nundinandi caussa in vrbem veniebant, lites componerent. nefasto enim die praetori fari non licebat. ergo, qui ferias dicunt, a mendacio vindicantur patrocinio vetustatis: qui contra sentiunt, aestimatu aetatis, quae legem secuta est, vera depromunt.* Sic ille. At enim vero *primum* nondum adeo constat, an GRANIVS ille LICINIANVS, cuius hic mentionem fecit MACROBIVS, idem cum GRANIO FLACCO fuerit, qui leges regias *Iuris* PAPIRIANI commentariis suis illustrauit, quod etiam adfirmare, ausum non fuisse, video *Petr. Paul.* IVSTI [50]); Sed si vel vterque GRANIVS fuisset idem, non minus tamen incertum esset, an, quae MACROBIVS *ex libro II.* GRANII LICINIANI de nundinis exscripsit, ex commentario eius ad *ius ciuile Papirianum* depromta sint, saltim id timide perquam

 affir-

50) *Specimine Obseruat. criticar. c. XI. pag. 31.*

affirmauit vir praeſtantiſſimus *Petr.* WESSELING [51]) cum ICtus in *L. 144. D. de V. S.* vnum ſolummodo *librum de Iure Papiriano* a GRANIO ſcriptum fuiſſe, ſatis videatur innuere, aliorumque eius librorum, ex quibus ea MACROBIVS tranſumere potuit, apud veteres ſit mentio. Sed ſi vel & hoc darem, probari tamen nunquam poterit, id quod MACROBIVS ex *libro ſecundo* GRANII LICINIANI attulit, ad NVMAE aliquam legem illuſtrandam fuiſſe notata, nemo enim, quod ſciam, veterum hoc de NVMA prodidit, legem eum tuliſſe de nundinis: quid? ne inter eos quidem conuenit, cuinam Regum origo nundinarum ſit adſcribenda, & an tempore NVMAE Regis nundinae iam fuerint habitae, cum, teſte MACROBIO [52]) harum originem quidam ROMVLO aſſignent: quem communicato regno cum *T.* TATIO ſacrificiis & ſodalitatibus inſtitutis nundinas quoque adieciſſe commemorant; ſicut TVDITANVS affirmat; affirmat & DIONYSIVS [53]): CASSIVS autem SERVIVM TVLLIVM feciſſe nundinas dicit, vt in vrbem ex agris con-

51) *Obſeruat. variar. Lib. I. cap. 4. p. 13. (Amſtel. 1727.)*

52) l. c. *pag.* 233.

53) *Lib. II. n. 74. p. 98.*

conuenirent, vrbanas rusticasque res ordi-
naturi. Potius itaque aut ROMVLI aut TVL-
LII aliquam de nundinis fuisse legem, ad
quam *Granius* ille *Licinianus* haec annota-
vit, quae ex eo exscripsit MACROBIVS, pu-
tarem, quam NVMAE Regis. Et sic cor-
ruit πρῶτον ψεῦδος, quod in animum indu-
xit suum Vir elegans; sic corruit & conclu-
sio, GRANIVM in *libro II.* commentarii sui
iuxta ordinem *iuris Papiriani* illustrasse NV-
MAE leges, & vnde nunc probabis, quaeso,
singulis forsitan sex libris in *iure Papiriano*
collectas ac distinctas fuisse regis cuiusque
leges a ROMVLO ad SVPERBVM vsque
TARQVINIVM? Praeuidit illud vir doctus,
inde alias statim subiecit coniecturas, quas lo-
cis conuenientibus in medium producam.

§. XIX.

Variae, quas alteri POMPONII *fragmento in §. 36. attulerunt, medelae proferuntur, & in examen vocantur.* RVPERTI HEINECCII*que emendationes reiectae.*

Haec quidem varia fuere cataplasmata,
quae vulnerato POMPONIO in §. 2. sui frag-
menti imponunt Critici, ego vero fortasse
haud errauero, si, quod PLAVTVS de mu-
lieribus dixit: *nulla bona est, altera altera pe-
ior*

ior est, de omnibus his emendationibus vsurpauerim. Sed videamus nunc, quomodo curare alterum POMPONII locum tentauerint, vbi in §. 36. PAPIRIVM nostrum nominat *Publium*, cui etiam gangraenam insidere putarunt. RVPERTVS [54]) cum suo MVRETO [55]) τὸ *Publius* plane expungit, quia & DIONYSIO aduersum sit, & praeter ea ex sequenti litera initiali nominis PAPIRII natum videatur, quasi nempe littera *P*. geminata heic sit sine caussa a librariis. HEINECCIVS [56]) vero verba POMPONII: *Fuit autem in primis peritus P.* PAPIRIVS sic emendare audet; *Fuit autem inprimis peritus publici iuris* PAPIRIVS, & quidem ideo. quia, vt alibi dixit [57]), vel maxime PAPIRIO hoc competat elogium, qui & NVMAE oracula, ad sacros ritus pertinentia, collegit, & leges regias, in quibus genuina procul dubio iuris publici Romanorum antiquissimi imago relucebat, compilauit." Verum sicuti RVPERTO ob constantem omnium tum Codicum tum editionum Pandectarum lectionem subscribere subdubito, ita etiam, vt probem

54) *Animadv. in Enchir. Pomp. Lib. III. c. 2.*
55) *Repetit. ad Tit.* D. *de* O. I. *ad* L. 2. *§.36* p. 55.
56) *Histor. Iur. Civ. Lib. I. c. 2. §. 16. not. *)*
57) *in praefat.* VHL. *opusc.* praemissa *pag.* 57.

bem coniecturam Summi HEINECCII, a me impetrare nequeo, vtut BACHIVS [58]) eam ferri posse statuerit, *Gregorio*que MAIANSIO [59]) ea placuerit. Fraudi sine dubio ei fuit τὸ *in primis*, quod, vti videtur, per *praecipue* s. *maxime* explicuit vir elegans, sed falso, cum potius *in primis* hoc loco idem POMPONIO nostro sit, ac *ex primis* nempe *ICtorum* s. *inter ICtorum primos*, vti non tantum tota orationis series docet, incipit nunc enim historiam atque successionem Prudentum POMPONIVS noster, sed & praeter EBERLINVM [60]) iam obseruauit *Chr. Henr.* TROTZ [61]).

§. XX.

Coniectura eorum trutinatur, qui SPVRII *praenomen* PAPIRIO *reddunt.*

Quum itaque omnes hae curationes partim nimis violentae, partim ita comparatae

58) *Hist. Iur. Rom. c. l. p. 12. not. n.*

59) *Comment. ad triginta ICtor. omnia fragmenta, quae extant in Iur. Civ. corpore. Tom. II. §. 4. p. 131.*

60) *de origine Iuris cap. 34. p. 267. n. 1.*

61) *Tract. iuris de memoria propagata* (Trai. ad Rhen. 1734.) *Cap. III. p. 181.* obuenit etiam praepositio *in*, in eo significatu, quo idem ac *inter* vel *ex* denotat in *§. 9. I. de testam. ordin.* & *L. 73. §. 1. D. de R. I.* Vid. BRISSON. *de Verb. Signif.* v. *in. p. 589.*

ratae ſint, vt morbum POMPONIO adhuc grauiorem adferant, tantum abeſt, vt priſtinae ſanitati eum reſtituant, aliam alii pararunt medicinam, vt verum PAPIRIO praenomen redderent; nempe eum vocatum cenſent *Spurium* PAPIRIVM. Sic ſentit *Iac.* PERIZONIVS [62]) cui *Herm.* CANNEGIETERVS [63]) atque *Laur. Andr.* HAMBERGERVS [64]) etiam adſtipulantur. Hariolantur illi, priore loco *Sexti* praenomen ortum ex peruerſa interpretatione litterae *S.* ſiue ea ſola notatum fuerit *Spurii* praenomen, vt factum aliquando in lapidibus & nummis, ſiue, quoniam id praenomen plerumque duabus literis *SP.* ſignari ſolet, *P.* interciderit propter eandem proxime ſequentis vocabuli primam. Qua etiam ratione factum arbitrantur, vt poſteriore loco ſola *P.* remanſerit, ſublato *S.* quia ea vltima item erat praecedentis vocabuli, ſolenni ſcribarum negligentia, easdem literas, cum opus eſt, repetendi [65]). Non abhorruiſſe autem ab illo *Spurii*

62) *Animadv. hiſt. Cap.* 2. *pag.* 93.

63) *Obſerv. Iur. Rom. Lib. I. cap.* 15. *p.* 99 ſeqq.

64) *Obſeruat. ad Ian. Vinc.* GRAVINAE *Origines Iur. Civ. Obſ.* 3. in EI. *opuſc. ab* ESTORE *Ien. & Lipſ.* 1740. *editis. p.* 343.

65) Intelligit Doctiſſimus PERIZONIVS, cuius haec verba ſunt, notiſſimum illud ſcribendi compendium,

Spurii praenomine PAPIRIOS, patet ex *Spurio* PAPIRIO, qui memoratur LIVIO [66]). At enim vero, quominus & huic coniecturae ſubſcribere poſſim, haec faciunt. *Primum* in vulgus fere notum eſt, Romanos *Spurii* praenomen duabus ſemper ſcripſiſſe litteris, vt SP. Si dubitas, PLVTARCHO [67]) teſtimonium denuncio, qui ἔςιν, ſcribit, ἓν καὶ ὁ Σπόριος τῶν διὰ δυοῖν γραφομένων. τȣ̃ Σ. καὶ τȣ̃ Π. Affirmat idem VALERIVS PROBVS [68]): nusquam autem inuenies, praenomen illud vnica *S.* littera fuiſſe notatum. Neque *deinde*, ad quam confugiunt, locum hic inuenit *geminatio*. Duo geminationum ſunt genera, aliae ita ſunt comparatae, vt ſtatim

dium, *geminatio* quod dicitur. Erat nempe librariis ſolemne, vt ſi littera vna, pluresue, aut etiam integrae voces plane ſimiles atque eaedem ſine vllo concurrerent interuallo, ſemel tantum illas litteras vocesue exararent, quae ideo iterandae vel bis legendae ſunt, ſi ſenſus idoneus & verus debet erui. Sic Florentina e. gr. in *L.* 37. D. *de* LL. *caſibuſa* legit, pro quo TAVRELLVS recte edidit *caſibus vſa*, & in *L* 208. D. *de* V. S. *non ſingulares* bene geminauit *non ſingulares res.* Conf. *Chr. Henr.* ECKHARDI *Hermeneut. Iuris Lib. I c.* 2. *§* 59 ſeqq *pag.* 54 ſeqq. *ed.* WALCH.

66) *Lib. VI. c.* 27 & *X. c.* 44.

67) *Quaeſtion Rom. Cl. in Theſ. Ant. Rom.* GRAEV. *T. V p.* 1062.

68) *De literis Antiquis* in CLAVSLING. *Iur. Publ. Rom. Faſc. I. p.* 135.

ſtatim in oculos cadant, ac haud negari posſint, quas *geminationes vere tales* recte appellauit Doctiſſimus WALCHIVS [69]), aliae ſunt eae, quas quodam in loco adeſſe iurisperiti ſaltim ſuſpicantur; has prius haud ſtatuere debemus, niſi munitae ſint argumentis, quae eas veriſimiles reddunt. Iam quum inter poſterioris huius claſſis geminationes referenda haec ſit, quam in vtroque POMPONII fragmento excogitarunt, vt litteras SP. eliciant, *Spurii*que praenomen PAPIRIO reddant, videamus, an, quibus innititur, fundamenta, ita comparata ſint, vt veri quandam ſpeciem ipſi concilient. Fuerunt PAPIRII praenomine *Spurii* dicti; — bene, Sed num ideo ſtatim & noſter PAPIRIVS *Spurius* eſt dictus? vereor, ne claudicet concluſio; Quid ſi vel mihi liceret ita argumentari; Fuerunt *Sexti* PAPIRII, ergo recte noſtrum praenomine *Sextum* dixit POMPONIVS? Sed *Sextos* fuiſſe Papirios, probat *Q.* MVCII auditor ille, cuius idem POMPONIVS [70]) meminit. Et neſcio ſane, anne haec magis procederet concluſio, verum ne hoc quidem mihi ſumo. Accedit, quod

69) *ad* ECKHARDI *hermeneutic. Iuris. Lib. I. c.* 1. *§. 61. p. 56.*

70) *L.* 2. *§.* 42. D. *de* O. I.

quod Florentina, optimaeque notae Pandectarum editiones PAPIRII penes POMPONIVM praenomen ne quidem litteris *S. P.* ſed integrum *Sexti* primum, deinde *Publii* exhibeant, inſpice modo *Taurellianam*, *Gebauerianam*, omnesque, quae exſtant, vulgatas II. editiones. Quodſi vero ita fuit ſcriptum, quid geminabis? Auget ſcrupulum, quod multae doceant inſcriptiones apud MVRATORIVM [71]), GRVTERVM [72]) atque FABRETTVM [73]), *Spurii* praenomen inditum praecipue fuiſſe vel naturalibus ſ. ex concubina natis, vel vulgo conceptis, qui patrem demonſtrare non poterant, aut poterant quidem, ſed eum habebant, quem habere

71) *pag.* 1227. 4.

P. VARIO. SP. F. PASTORI
V. A. V. D. XXI.
VARIA MATER ET HYGINVS PATER
FECER.

72) *pag.* 738. 7.

73) *I.* 259.

C. VELIVS. A. F. SCAPTIA
SIBI ET CONCVBINAE SVAE
ET VELIAE SP. F. TERTIAE
FILIAE MEAE.

Plures eiusmodi inſcriptiones protulit *Henr.* CANNEGIETER *de mut. Rom. nom. ſub Princip. cap. V.*

bere haud licebat [74]) quale tamen quid de PAPIRIO noſtro eo minus perſuadere animo meo poſſum, quo verius eſt, Pontificem Maximum *patrimum* olim, id eſt, confarreatis parentibus genitum eſſe oportuiſſe [75]).

§. XXI.

74) Conf. Viri Summi *I. L. E.* PÜTTMANNI diſſ. *de querela inoff. teſtam. fratrib. atque ſoror. contra ſpurios haud competente.* Lipſ. 1772. pag. 4. & 15 ſeqq.

75) Notus eſt antiquiſſimus ille, qui iam ſub primis Romanorum regibus inualuiſſe videtur, *confarreationis* ritus, in nuptiis celebrandis obſeruari ſolitus, quo *certis verbis, & teſtibus decem praeſentibus, & ſolemni ſacrificio, coram Pontifice Maximo facto, in quo panis farreus adhibebatur*, vxores in manum mariti conueniſſe, refert VLPIANVS *Fragm. Tit. IX. §. 1.* adde DIONYS. HALICARNASS. *Ant. Rom. Lib. II. pag. 95* & BOSIVM *de Pontifice Max. Rom. vet. Cap. IV. §. 6. in fine.* Hic *confarreationis* ritus, praeter alios, hunc quoque producebat effectum, vt liberi ex eiusmodi nuptiis procreati, dicerentur *patrimi* ac *matrimi.* Vid. SERVIVS *ad* VIRGIL. *Georg. Lib. I. ad v. 31.*

Teque ſibi generum etc.

Patrimos hoſce ac matrimos prae ceteris dignos cenſuerunt Romani, qui ſacris ſemper peragendis adhiberentur, ac ſummis perfungerentur ſacerdotiis. Conf. DIONYSIVS *Ant. Rom. Lib. II. pag. 92.* TACITVS *Annal. Lib. IV. c. 16. Hiſt. Lib. IV. c. 53.* GELLIVS *Noct. Attic. Lib. I. c. 12.* FESTVS *v. Patrimi.* Vide quoque, quae hac de re docte diſſeruit *Chr. Vlr.* GRVPEN *Tract. de Vxore Rom. Cap. IV. §. 23.*

§. XXI.

Variae eorum ſententiae, qui fidem POMPONII *ſecuti, vel vtrumque, vel alterutrum, quod ipſi dedit, praenomen* PAPIRIO *tribuunt.*

Sunt vero & alii, iique celeberrimi omnino iuris interpretes, qui vnice POMPONIVM ſecuti, vel ita eum conciliant, vt duo praenomina PAPIRIVM habuiſſe, ſibi perſuadeant, *Sexti* nempe & *Publii;* vel alterutrum POMPONII locum vitii, errorisue ſuſpectum habentes, alterutrum praenomen PAPIRIO reddunt. Priorem in claſſem praecipue *Ant.* TERRASSONVM 76) &, quem idem ſentire RVPERTVS 77) affirmat, CORRASIVM ſcribimus; verumtamen hanc conciliationem riſu, non reprehenſione dignam iam iudicauit MVRETVS, quae ſi procederet, poſſet eadem facilitate, vt doctos interpretes expediret, & *Caium* ſimul praenominatum dicere; vt ita prodeat ICtus, tribus praenominibus illuſtris, *Caius Sextus Publius* PAPIRIVS. Sed quis eſt, qui vel leuiter ſaltim deguſtauit hiſtoriam Romanam, quem fugiat, vni perſonae non facile penes Romanos olim duo fuiſſe praenomina, cum

 primis

76) *Hiſtoir. de la jurispr. Rom. p. 21.*
77) *Animadv. in Enchirid. Pomponii Lib. I. c. 3. pag. 56. in fine.*

primis illo TARQVINII aeuo, quo parcior erat appellandi ratio, vti egregie iam obſeruauit RVPERTVS [78]). Qui ad alteram claſſem pertinent, ICti in diuerſas iterum diſcedunt partes: quum alii PVBLII praenomen verius eſſe iudicent, quorum in cenſum referendi praecipue veniunt *I.* CVIACIVS [79]), *E.* OTTO [80]), *G.* EBERLINVS [81]), *I. H.* MOLLENBECIVS [82]), *Th.* MARCILIVS [83]), *C. van* BYNCKERSHOECK [84]), *N. H.* GVNDLINGIVS [85]), *Io. Sal.* BRVNQVELL [86]) & qui ſunt reliqui; alii e contra praenomen *Sexti* PAPIRIO potius vindicent, ex quibus praecipue *Franc.* BROEVM [87]), *Paul.* MERVLAM [88]), *Lud.* CHARONDAM [89]), *Claud. Ioſ.*

78) *c. l. pag. 57 ſeqq.*
79) in *Comm. ad Pompon. L. 2. §. 2.* D. *de* O. I.
80) in *Praef. ad Tom. IV. Theſ. Iur. pag. 4.*
81) *de Origine Iuris cap. 35. p. 271.*
82) *cit. diſſ. §. 12.*
83) in *Legis XII. Tabb. Collecta- & interpretam. princ. in Tom. IV. Theſ. Ottonian. p. 226.*
84) in *Praetermiſſ. ad §. 2. L. 2.* D. *de* O. I.
85) in *Prot. Digeſt. Lib. I. Tit. 2. § 5.*
86) in *Hiſtor. Iuris Rom. P. I. c. 1. §. 17.*
87) in *breui totius Iuris chronol. hiſtoria.* EIVS *Expoſitionibus in Imp. Iuſtiniani Inſtitut. Lutet. Pariſ. 1622.* praemiſſa.
88) *de Legibus Rom. C. VIII. §. 1.* inter EI. *Opp. varia poſth. Lugd. Bat. 1684.*
89) in EI. *Pand. editione Antwerp. 1575. ad L. 2. §. 36.* D. *de* O. I.

Iof. de FERRIERE [90]) & *M. A.* MVRETVM [91]) nomino; quibus etiam certo modo annumerari poteſt *Fr. Carol.* CONRADI [92]), qui tamen *Publii* cognomen, inde imponi ſolitum, *quod quis populo acceptus fuiſſet*, forſan fuiſſe additum PAPIRIO, *vni ex principalibus viris*, denuo coniicit, quum *Sexti* praenomen ab ordine naſcendi ei in familia iam obtigiſſet.

§. XXII.

Sententia eorum, qui PAPIRIVM *eundem faciunt cum* MANIO *illo &* PRAETEXTATO, *& noſtra tandem proponitur.*

Sunt etiam, qui noſtrum PAPIRIVM eundem eſſe putant cum eo, quem DIONYSIVS [93]) *Manium* appellat, quem quidem errorem *Val.* FORSTERVS [94]), *Fr.* HOTOMANNVS [95]) *Bern.* RVTILIVS [96]) aliique errarunt, recte ideo notati a *Guil.* GROTIO

90) *Hiſtoir. du Droit. Rom.* Ch. 2. p. 15.
91) *Repetit. ad Tit.* D. *de* O. I. *ad §. 36. p. 55.*
92) in *praef.* BYNCKERSH. *Praeterm.* praemiſſa penes VHL. *p. 221.*
93) *Lib. V. c. 1.*
94) *Hiſtor. Iur. Civ. Rom. Lib. II. c. 2. n. 1. p. 303.* (Aurel. Allobrog. 1609.)
95) *Antiqu. Rom. Lib. I. p. 302.* & in *deſcript. ICtor.* penes *I. G.* CLAVSINGIVM *in Iure Publ. Rom. Faſc. III. p. 709.*
96) *Vit. ICtor. Cap. 1. p. 2.*

TIO [97]) atque RVPERTO [98]). Non enim ſatis diligenter inſpexere DIONYSIVM, qui quem *Caium* PAPIRIVM dixit, curate diſtinxit ab eo PAPIRIO, quem *Manium* appellauit, cum primum eorum *Pontificem* fuiſſe *maximum*, poſteriorem autem primum *Regem ſacrificulum* perhibeat, ſatisque indicet, duos diuerſos fuiſſe PAPIRIOS, diverſis a ſe plane ſeiunctis dignitatibus conſpicuos. Nec deſunt porro etiam, qui PAPIRIVM noſtrum eundem faciunt, cum *Praetextato* GELLII [99]) atque MACROBII [100]), inter quos *Valent.* FORSTERVS [1]) praecipue refert ZASIVM, cuius errorem tamen egregie iamiam detegit atque perſtrinxit RVPERTVS [2]), qui praeter ea euidenter ex POLYBIO [3]) probatum dedit, quae de PAPIRIO *praetextato* narrarunt GELLIVS atque

97) *Vit. Ictor. quorum in Pand. extant nomina Lib. I. C. 1. pag. 3.*

98) *Animadv. in Ench. Pomp. Lib. I. C. 3. p. 57.*

99) *N. A. Lib. I. c. 23.*

100) *Saturn. Lib. I. c. 6. p. m. 184 ſeq.*

1) *Hiſt. Iur. Civ. Rom. l. c. p. 304.*

2) *Animadv in Ench. Pomp. l. c. p. 59.* adde *Chr.* THOMASIVM *in Naevis Iurispr. Rom. Anteiuſt. p. 126. §. 2.* & *Lou. de* BEAVFORT diſſ. *ſur l' incertitude des cinq. premiers Siecles de L' Hiſtoir. Rom. Part. II. Ch. 12. §. 2. p. 415 ſeqq.*

3) *Lib. III. c. 20.*

que MACROBIVS, non hiſtoriam, ſed ſuaviludii cuiusdam commentum eſſe, natum paullo poſt tempora belli Punici Secundi. Sed quid diutius his nugis immoror, tempusque & Chartam perdo? Sit ita! PAPIRIVM dicas, aut *Gaium*, aut *Sextum* aut *Publium*, per me licet; ego vero in tali re ipſis tenebris obſcuriori, cum *Thom.* PAPILLONIO [4]), *Chr.* THOMASIO [5]), *Gerardo* COCCEIO [6]), *Guil.* GROTIO [7]) aliisque nihil definire malo, & meum hic facere tritum illud: *haud liquet:* quam ingratum illud ex Comoedia audire:

> — — — — *Incerta haec ſi tu poſtules*
> *Ratione certa facere, nihilo plus agas,*
> *Quam ſi des operam, vt cum ratione inſanias.*

Caeterum in eo parui etiam refert, quid veri ſit, vt in ſimili re dubia iam olim ſcripſit LIVIVS [8]); ſufficit, tam Veteres, quam recen-

4) in *Comment. in quatuor priores Titulos Libri I. Dig. ad L. 2. ∮. 36.* D. *de* O. I. in *Tomo II. Theſ. Meerm. p. 594.*

5) in *Naeuis cit. p. 125.*

6) in *Comment. ad Tit. Pand. de Orig. Iuris ad L. 2. ∮. 2. p. 37.* (Groening. 1660.)

7) *Vitis ICtor. Lib. I. c. I. ∮. 1. p. 2.*

8) *Lib. VIII. c. 18. init.*

centiores amice in eo conſpirare omnes, noſtrum *Iuris Ciuilis Papiriani* compilatorem dictum fuiſſe PAPIRIVM. Forſan ipſa iamiam POMPONII aetate, vti Cel. CONRADI [9]) annotauit, incertum fuit PAPIRII praenomen, aliis *Sextum*, aliis *Publium* dicentibus. Quis audet definire? At vero nimis fere diu praenomini PAPIRII immorati ſumus, ne quis itaque nobis occinat:

Turpe eſt, difficiles habere nugas
Et vanus labor eſt ineptiarum,

illico ad aetatem PAPIRII noſtri progredior.

§. XXIII.

PAPIRII *aetas eruitur.*

De aetate, qua noſter vixit PAPIRIVS, non minor inter Viros doctos eſt dubitatio, orta ex verbis POMPONII: *qui fuit illis temporibus, quibus* SVPERBVS *Demarati Corinthii filius, ex Principalibus viris.* Narrat quidem ille, PAPIRIVM temporibus SVPERBI ex primoribus fuiſſe ciuitatis, ſed repugnat nota ibidem addita, qua is SVPERBVS *Demarati Corinthii filius* fuiſſe dicitur. Publica enim hiſtoriarum documenta [10]) probant,

9) *Praefat. ſaepe cit. p. 221.*
10) LIVIVS *Lib. I. c. 34.* Prouocat quoque EBERLINVS

bant, non TARQVINIVM SVPERBVM, ſed PRISCVM fuiſſe *Demarati Corinthii* [11]) filium,

LINVS *de Orig. Iuris c. IV. p 19* ad lapidem quendam Romanum, qui habet: LVCIVS TARQVINIVS, *Demarati filius* PRISCVS *Rex, regnat annos XXXVII.*

11) Fuit DEMARATVS ille *Corinthius*, ex nobiliſſima *Bacchidarum* ortus familia, negotiator diues, qui ob ſeditiones domo profugus, CYPSELI Tyranni iniurias fugiens, *Tarquiniis* conſedit. Vxore ibi ducta, duos filios genuit, LVCVMONEM atque ARVNTEM. ARVNS prior, quam pater moritur, nec diu manet ſuperſtes filio pater, cui LVCVMO ſuperfuit omnium bonorum haeres. Hic duxit in matrimonium *Tanaquil*, ſummo loco natam, & quae haud facile iis, in quibus nata erat, humiliora ſineret ea, quae innupſiſſet. Quae cum itaque animaduerteret, maritum ab Etruſcis ſperni, velut exule aduena ortum, ferre indignitatem non potuit, oblitaque ingenitae erga patriam caritatis, dummodo virum honoratum videret, conſilium migrandi ab Tarquiniis cepit. Roma eſt ad id potiſſimum viſa. In nouo populo, vbi omnis repentina atque ex virtute nobilitas ſit, futurum locum forti ac ſtrenuo viro: regnaſſe *Tatium Sabinum:* arceſſitum in regnum *Numam* a Curibus: & *Ancum* Sabina matre ortum, omnes igitur peregrino loco natos. Facile perſuadet, rebusque ſublatis commigrant Romam. Domicilio ibi comparato pro Lucumone *Lucii*, & ab oppido Tarquiniorum *Tarquinii* nomen aſſumſit. *Priſci* cognomen tunc nondum tulit, inditum ipſi, poſtquam SVPERBVS florere coepit. Nouitas diuitiaeque conſpicuum eum Romanis faciebant: & ipſe quoque fortu-

lium, SVPERBVM vero PRISCI vel filium, id quod LIVIVS [12]) ob plurium auctorum [13]) fidem credit, vel huius certe ex filio nepotem fuisse, quod rationibus haud contemnendis

fortunam benigno alloquio, comitate inuitandi, beneficiisque quos poterat sibi conciliando, adiuvabat: donec in regiam quoque de eo fama perlata est; notitiamque eam breui, apud regem, qui tunc regnauit, ANCVM liberaliter dextreque obeundo officia, in familiaris amicitiae adduxerat iura, vt publicis pariter ac priuatis consiliis, bello domique interesset, & per omnia expertus, postremo tutor etiam liberis Regis testamento institueretur. Quorum commodis proprias rationes anteponens, breui effecit, vt ingenti consensu Populus Romanus eum regnare iusserit. Vid. LIVIVS *Lib I. c. 34.* PLINIVS *Hist. Nat. Lib. XXXV. c. 3.* & *11.* & *Lib. XXV c. 12.* Huius TARQVINII PRISCI filius neposne fuerit, *Lucius* TARQVINIVS SVPERBVS, parum liquere, LIVIVS I. 46. ait; sed sit sane filius, situe nepos, id minimi omnino ad rem nostram momenti est, sufficit, certum saltim id esse, non TARQVINIVM SVPERBVM sed PRISCVM fuisse DEMARATI *Corinthii* filium.

12) *Lib I. c. 46.*

13) Confirmat hoc GELLIVS *N. A. Lib. XVII. c. vlt* ostendunt quoque *Tabulae Capitolinae*, quae habent: *Lucius* TARQVINIVS, *Lucii filius*, DEMARATI *nepos*, SVPERBVS, Rex *regnat annos XXV.* & STRABO *Rer. Geogr. Lib. V.* vbi de TARQVINIO PRISCO loquens: *Huius*, inquit, *filius* TARQVINIVS *secundus extitit*, *cognomento* SVPERBVS, *qui Regum extremus*, *eiectus est de regno.*

dis adſtruit DIONYSIVS [14]). Quae cum ita ſint, fuerunt, qui nodi huius ſoluendi cauſſa, POMPONIVM indigitaſſe PRISCVM iudicant, eodemque, quo ille, tempore vixiſſe PAPIRIVM docent: & hac quidem in haereſi reperio *Greg.* HALOANDRVM [15]), *Gerard.* COCCEIVM [16]), *Iac.* CVIACIVM [17]), *Ant.* GARRONEM [18]) & *Dionyſ.* GOTHOFREDVM [19]). *Primum* enim hi ideo vix credibile putant, POMPONIVM de TARQVINIO cogitaſſe *Superbo*, quia illum promtius ab hoc, quod fuerit vltimus, & a BRVTO eiectus, deſcripturus fuiſſet, quam a patre. Obſeruaſſe volunt *deinde*, TARQVINIVM etiam *Priſcum* veteribus *Superbum* fuiſſe appellatum. Quam enim *Superbo*, inquiunt, CASSIVS HEMINA apud SERVIVM, & LIVIVS [20]) & *Aur.* VICTOR [21]) tribuunt cloacarum

14) *Ant. Rom. Lib. IV. pag.* 211.
15) Hic enim teſte GEBAVERO in noua ſua Pandect. edit. ad L. 2 §. 2. D. *de* O. I. & MVRETO ad *h.* L. *Superbi* cognomine expuncto, ſubſtituit *Tarquinium Priſcum.*
16) in *Commentar. ad T. de O. I. ad* §. 2. L. 2. *p.* 37.
17) in *Commentar. ad* L. 2. §. 2 D. *de* O. I.
18) in *Commentar. in Tit. Dig. de O. I. p.* 35. (Bremae 1631.)
19) in *not. ad* L. 2. §. 2. D. *de* O. I.
20) *Lib. I c.* 36.
21) *de Viris illuſtrib.*

carum exstructionem, earundem auctorem DIONYSIVS HALIC. 22) & PLINIVS 23) faciunt TARQVINIVM *Priscum*. Verum si sub TARQVINIO PRISCO iam floruit PAPIRIVS, qui potuit tunc omnes omnium Regum leges colligere, vti POMPONIO dicitur? Deinde inter vtriusque TARQVINII imperium, propter intermediam personam regnantem, SERVIVM nempe TVLLIVM, tantum temporis spatium intercessit, vt, si PAPIRIVM iam temporibus TARQVINII PRISCI vnum ex principalibus viris fuisse dicas, qui tamen regibus demum exactis de colligendis legibus regiis cogitauit, eum vltra C. annos habuisse credendum sit, quod tamen neque vero plane est simile, & si verum esset, omissum non foret. Neque etiam rem conficere videtur, quod *Superbi* cognomen TARQVINIO quoque PRISCO a Veteribus tributum esse, velint obseruasse, eam enim obseruationem omni destitui fundamento, dudum demonstrauit B. HEINECCIVS 24). Quis primum persuaderet sibi, SVPERBI cognomen datum fuisse ei, qui pecuniam erogabat liberaliter, & a quocum-que

22) *Ant. Rom.* Lib. III. p. 200.

23) *Lib XXXVI. c. 15.*

24) *Obs. hist. de Iure Papiriano* §. 3.

que rogatus omnem gratiam ſuam atque au-
ctoritatem libentiſſime commodabat, accepta
ab aliis beneficia exaggerabat, offenſas vero
aut ſtatim diſſimulabat, aut extenuando le-
niter ferebat, vti optimam TARQVINII
PRISCI indolem commendant *Excerpta Pei-
resciana* [25])? Deinde quod LIVIVS, AVRE-
LIVS VICTOR & alii TARQVINIVM PRIS-
CVM auctorem faciunt cloacarum Romana-
rum, quum alii ſtupendum hoc opus SV-
PERBO tribuant, id ipſum DIONYSIVS [26])
conciliat, qui magnificam illam cloacarum
ſtructuram, a TARQVINIO PRISCO inchoa-
tam, ſed imperfecte relictam reſumſiſſe SV-
PERBVM, & ad colophonem perduxiſſe
enarrat: ideoque exinde non ſequitur, vt
vtrique TARQVINIO idem cognomen fuerit.
Faceſſat igitur hinc illa coniectura. Nec for-
te arridebit illa cuiquam, difficultates perpen-
denti, quas pariat. Equidem potius noſtrum
PAPIRIVM ſub TARQVINIO eo vixiſſe, cui,
vltimo Romanorum Regi, ferox & tyranni-
cum ingenium *Superbi* cognomen fecerat,
cum meo POMPONIO tam diu credam, vs-
que dum meliora quis contra ſententiam
hanc protulerit, idque eo magis, quia ex-
actis

25) *pag. 521.*

26) *Ant. Rom. Lib. III. p. 200.* & *Lib. IV. p. 246.*

actis demum Regibus collectionem suam composuerit, vti §pho sequente pluribus demonstrabo. Viderit itaque TARQVINII tyrannidem, sed viderit etiam liberatam ab ea patriam sub primis Consulibus necesse est.

§. XXIV.

Argumenti continuatio.

Enimvero POMPONIVS TARQVINIVM illum SVPERBVM *Demarati Corinthii* filium facit, id quod TARQVINIO tantum PRISCO conuenit? Quid igitur, hallucinatum esse POMPONIVM putabimus, criminisque ἀνιςορησίας eum postulabimus? Sic plurimi censent, subscribunt in crimen *Henr.* BROKESIVS [27]), *M. A.* MVRETVS [28]), *Guil. van der* MVELEN [29]), *Io. Aug.* BACHIVS [30]) aliique. Sunt tamen etiam haud pauci defensores inuenti, qui, VT POMPONIVM ab omni plane erroris nota liberent, varios conquisiuerunt colores. Quidam errorem potius in scriptura, quam in POMPONIO agnoscere, legereque volunt: *Superbus Demarati*

27) in diss. *de Pomponio histor. Rom. ignaro.* §. 22. & 23.
28) in *Repetit. ad Tit. D. de Orig. Iur. p.* 14.
29) *Exercit. in Histor. Pomponii de Orig Iuris p.* 357.
30) *Histor. Iurispr. Rom. Lib. I. c. I. Sect. II.* §. 6. *not. k.*

marati Corinthii FILIus, hoc eſt, ex regula geminationis, *Demarati Corinthii filii filius*, i. e. nepos. Eſt haec coniectura *Corn. van* BYNCKERSHOECK 31), ſed ſic iam ante eum legendum etiam putauit *Ludov.* CHARONDAS 32) & *Ant.* AVGVSTINVS 33) perhibet, fuiſſe, qui exiſtiment ſcribendum *filii filius*, aut *FILIus*, quo iure itaque BYNCKERSHOECKIVS inter praetermiſſa hanc coniecturam referat, viderint alii. Verum enim vero quamuis coniecturae huic etiam adſtipulentur BRVNQVELLVS 34), GVNDLINGIVS 35), aliique, recte tamen iam adnotauit non tantum B. GEBAVERVS 36), ſed & iam ante eum *Gregor.* MAIANSIVS 37), premere hanc coniecturam, quod inſolitum & parum latine dictum ſit τὸ *filii filius* loco *nepos*, & quod cauſſa non adſit idonea, cur aui mentio ſit facta, patris non idem. His etiam

31) *Praetermiſſ. ad Pompon. ad §. 2.* penes VIII. *p.* 235.

32) *In notis ad* L. 2. §. 2. D. *de* O. I. ad verba *Demarati Corinthii filius.*

33) *De nominibus propriis τῶ Πανδέκτω col. 257. not. c.* in *Ev.* OTTONIS *Theſ. Iur. Rom. Tom. I.*

34) *Hiſtor. Iur. Rom. P. I. C. I. §. 18. p.* 33.

35) *Prot. Digeſtor. Lib. I. Tit. 2. §.* 5.

36) in *notis ad* L. 2. §. 2. D. *de* O. I.

37) *Comment. ad triginta ICtor. omnia fragm. quae extant in I. C. corp.* p. 130. §. 3.

etiam rationibus forſitan moti alii aliam ad defendendum POMPONIVM inuenerunt rationem, per *filium* nempe hic nepotem vel pronepotem intelligere volunt, abuſi legibus quibusdam Digeſtorum [38]), quibus ICti Romani *filii* appellationem ſic interpretandam cenſent, vt ea & nepos, omnesque ceteri, qui ex nobis deſcendunt, comprehendantur. Sic ſentiunt *Ant.* TERRASSONVS [39]), *Guil.* GROTIVS [40]) aliique. At vero quod *filii* appellatione interdum nepos proneposque contineatur, id ex interpretatione contingit, non ex proprietate ſermonis, ſecundum quam *filius* is eſt, qui ex viro & vxore eius naſcitur [41]). Cum autem in rebus hiſtoricis maxime verborum proprietas attendatur, ibique homines, qui ſint, a patre vel auo deſcribantur, ſemper enim alioquin eſſemus incerti, quid proderet hiſtoria, veroſimilius eſt, POMPONIVM in concinnanda iuris hiſtoria idem obſeruare voluiſſe. Vt taceam, Leges ab his ICtis pro ſuffulcienda, coniectura ſua adductas, ex titulo

38) In rem ſuam trahunt L. *84.* & L. *201. D. de V. S.*

39) *Hiſtoir. de la Iurispr. Rom. P. I. §. 4. p. 20.*

40) *Vit. ICtor. quorum in Π. extant nomina Lib. I. c. I. §. 1. p. 2.*

41) *L. 6. D. de his, qui ſui vel alien. iur.*

titulo DIG. *de Verborum Significatione* petitas esse, cuius, notantibus *Iac.* LABITTO [42]), *Henr.* BRENCMANNO [43]) & *C. H.* ECKHARDO [44]), haecce peculiaris est indoles, vt pleraeque verborum significationes, quas TRIBONIANVS ex commentariis veterum ICtorum vndique conquisitas, sub Titulum hunc retulit, non vsquequaque valeant, sed eo in loco, in quo occurrebant. Quorsum vero quaeque verbi significatio pertineat, & cui materiae illa accommodari debeat, inscriptiones legum huius tituli ostendunt, quae veluti Hermae quidam sunt, qui viam, qua eundum sit, monstrant, ac proin, si vllibi, hic certe ad Inscriptionem attendendum est, vt singulae verborum significationes propriis materiis accommodentur. Haud credatis itaque Viri Doctissimi, qui ex hoc Titulo POMPONIVM explicandum censetis, significationem appellationis *filii*, quam hoc in titulo relatam inuenitis, vsquequaque & sic etiam hic in explicando POMPONII fragmento valere; minime! ablego vos potius ad

42) *Vsu Indicis Pandect. Cap. II.* §. *14* seq.
43) Disp. *de Legum Inscription.* §. *16.* in *Abr.* WIELINGII *Iurispr. restit. p. 162.*
44) *Hermeneutic. Iuris Lib. I. c. V.* §. *203* seqq. *pag.* 376 seqq. *edit.* WALCH.

ad *Ioan.* GOEDDEVM [45]), qui ex inſcriptione legum ex hoc titulo *D. de Verborum Significatione* a vobis allatarum, vos docebit, ſignificationem *filii*, in his explicatam, tantummodo in legatorum, fideicommiſſorum, vltimarumque voluntatum interpretatione locum ſuum inuenire. Recte itaque explodendam cenſuerunt hanc coniecturam *Gregor.* MAIANSIVS [46]) & *Wilh. van der* MVELEN [47]). Tandem etiam ſilentio non penitus praetereundam puto hariolationem cuiusdam *Erneſti Lud.* HENSINGII [48]) qui, vt POMPONIVM ſuum excuſet, manum IRNERII aut alius naſutuli cuiusdam interpretis, Hiſtoriarum ignari, nec PRISCVM a TARQVINIO SVPERBO diſcernere ſcientis, agnoſcere vult, cuius in nos benignitate τὰ *Demarati Corinthii filius* reliquis addita ſunt. Sed vereor, an & haec defendi poſſit coniectura, cum ita non ſolum in editioni-

45) *Comment. repetitae praelect. in Tit. XVI. Libri L. Pandect. de V. & R. Significat. p. 711. & 1108.* (Ligenae Naſſov. 1597.)

46) *Comment. ad trig. ICtor. omnia Fragm. quae extant in* I. C. *corpore Tom. II. p. 130.* §. 3.

47) *Exercit. in Hiſtor.* POMPONII *de* O. I. *p. 356.* (edit. *Traj. ad Rhen. 1723.* 4.)

48) *de Fontibus Iuris Rom. praetermiſſa* ad POMPONIVM *ſub praeſidio Senckenbergiano. Gieſſae* 1742. defenſa, §. *IV.*

tionibus Pandectarum glossatis, sed annotante TAVRELLO sic & in Pandectis Florentinis, & in veteri MSpto, scriptum inveniatur, optimaeque Pandectarum editiones non glossatae haec verba habeant. His quidem ex rationibus sententiae eorum subscribere nullus dubito, qui POMPONIVM hic errasse putant, neque id mirum videri debet, cum saepissime ICti in iis, quae ad familias Rom. veteres pertinent, fefellerint. Ita & VLPIANVS [49]) errauit, dum a *Domitia* NERONIS filia Paridem Pantomimum decem, quae ei dederat pro libertate, repetiisse, ex NERATII sententia scripsit, cum constet ex TACITO [50]), *Domitiam* potius NERONIS amitam fuisse. Nihil tamen hic error de fide sua POMPONIO detrahit, egregie enim demonstrauit *Iac.* PERIZONIVS [51]); *plerosque alios rerum Romanarum scriptores, iusta ac vera hominum opinione singularis fidei, curae, diligentiae, ingenii & iudicii nomine celebratissimos, tamen vel memoriae vitio, vel animi quadam incuria humani*

 mani

49) *L.* 3. *§.* 5. D. *de condict. caus. dat.* plura exempla dabit tibi *van der* MVELEN l. c. *p.* 357.

50) *Annal.* III. 19.

51) *Animaduers. historic. cap.* I. *pag.* 5. *init.* edit. *Harles.*

mani aliquando quid paſſos, & naeuulis iſtius-modi hic illic occurrentibus liquido probaſſe, in ſcribendo ſe, aeque ac alios, potuiſſe falli, adeoque nihil eſſe humanarum rerum, quod non humanis erroribus appareat obnoxium, nullumue communis humani ingenii imbecillitatis ſignum in attentos aliorum oculos ingerat. POMPONIO itaque iſtiusmodi naeuuli cauſſa omnem vim fieri veto. Etiam bonus interdum dormitat HOMERVS, &

— vbi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura.

SECTIO IV.

§. XXV.

Tempus, quo Papiriana collectio in lucem prodiit, disquiritur.

Posteaquam hucvsque, *iuris ciuilis Papiriani* quis fuerit auctor, quaque vixerit aetate, vidimus, ante omnia nunc disquirendum venit, quo tempore in lucem prodierit haec legum regiarum collectio. Scinduntur hic iterum in diuersas partes ICti. Sunt, qui durante adhuc statu regio collegisse PAPIRIVM putant, & ne inter ipsos quidem de ea re conuenit: mox sub TARQVINIO PRISCO, mox regnante SVPERBO, eundem fabricasse *Ius Ciuile* suum voluit. Priorum in classe ii sunt, qui PAPIRIVM TARQVINII PRISCI aeuo adiungunt, quos quidem, quales sint, supra cognouimus. Posteriorum vero in censum refero *Georg.* BEYERVM [1]), *Iac.* CVRTIVM [2]), *Claud. Ios. de* FERRIERE [3]), *Corn. van* BYN-

1) *Delineat. histor. Iur. Rom. & Germ.* (Lips. 1739. *num.* 20.

2) *Coniecturar. Tom. I. Lib. I. c. 25. p. 41.* (Hanov. 1605.)

3) *Histoir. du Droit. Romain.* (Paris. 1726.) *Ch. II. pag. 15. fin.*

CKERSHOECK [4]), *Io. Sal.* BRVNQVELLVM [5]), *Io. Ad.* KOPPIVM [6]), *Leop. Andr.* GVADAGNI [7]), *Niccol.* TORTORELLI DI FOGGIA [8]), *Ant.* TERRASSONVM [9]), *Herm.* CANNEGIETERVM [10]), aliosque. Non putant hi, regibus exactis & reddita libertate operam insumere voluisse PAPIRIVM, colligendis singulari libro regum legibus, quas vna cum auctoribus suis, id est, regibus exactas esse, POMPONIVS [11]) testetur [12]), potius per regum eiectionem ipsum quoque *Ius Ciuile Papirianum*, eorum leges continens, abrogatum esse, sibi persuadent. Sed negant id alii, magni quoque nominis ICti, qui Regibus demum eiectis scripsisse PAPIRIVM arbitrantur, sicque sentiunt *Bern.* RVTILIVS

4) *Praetermiss. ad L.* 2. *§.* 2. D. *de* O. I. penes VHL. *pag* 235.
5) *Histor. Iur. Rom. P. I. C. I. §.* 18. *p.* 33.
6) *Histor. Iuris P. I. Ep. I. Thes. V. p.* 5. (Marb. 1741.)
7) *Institut. I. Civ. Proëm. Sect. II. §.* 2. in EI. *Exercit. in I. Civ. Tom I. pag.* 7. (Pisis 1766.)
8) *Degli antichi Giureconsulti Rom. Lib. I. c.* 1. *p.* 2 *seq.* (Napoli 1736.)
9) *Histoir. de la Iurispr. Rom. P. I. §. IV. p.* 20. & 21.
10) *Obseruat Iur. Rom Lib. I. c.* 15. *p.* 98.
11) *L.* 2. *§* 3. D. *de* O. I.
12) Sunt verba Cel. CANNEGIETERI *c. l.*

LIVS [13]), *Guil.* GROTIVS [14]), *Io. Gottl.* HEINECCIVS [15]), *Io. Dan.* RITTER [16]), *I. A.* BACH [17]), *Wilh. van der* MVELEN [18]), *C. A. de* MARTINI [19]), *Ch. Fr. Im.* SCHORCH [20]), Ill. *Io. Henr. Chr. de* SELCHOW [21]) aliique, neque dissimulo, me in horum partes esse procliuiorem. Fac enim, PAPIRIVM iam sub TARQVINIO PRISCO collectionem suam protulisse foras, quis crederet, leges ROMVLI & NVMAE POMPILII SERVII TVLLII aetate ita fuisse vetustate neglectas, vt Rex ille in vsum eas reuocare, opus duxisset [22])? Et qui tunc PAPIRIVS omnes omnium Regum Romanorum leges collige-

13) *Vit. ICtor. cap. I. p. 2.*

14) *Vitae ICtor. quor. in Pand. extant nomina Lib. I. c. 1. §. 1. pag. 2.*

15) *Obs. hist. de iure Papiriano §. IV. & V.*

16) ad HEINECCII *Histor. Iur. Civ. Lib. I. cap. 2. §. 17. p. 33.*

17) *Histor. Iurisprud. Rom. Lib. I. c. 1. Sect. 2. §. 7. pag. 12.*

18) *Exercitat. in Histor.* POMPON. *de O. I. p. m. 651.*

19) *Ord. histor. Iur. civ. c. II. §. 18. p. 38.*

20) *Delineat. histor. Iur. civ. c. I. Sect. I. §. 28. p. 13.*

21) *Geschichte der in Teutschl. gelt. fremd. und einh. Rechte. Th. I. C. 1. Abschn. 1. §. 14. p. 17.*

22) De SERVIO TVLLIO id refert DIONYSIVS *Ant. Rom. Lib. IV. pag. 216. lin. 12* seq. *ed. Sylb.*

re potuisset, quas tamen omnes in eius libro conscriptas exstitisse, POMPONIVS tradit [23])? Sin autem sub TARQVINIO, sub quo vixit, SVPERBO scripsisset PAPIRIVS: quid opus erat, vt egregie hic argumentatur HEINECCIVS [24]), collectione legum regiarum, quas vltimus ille Romanorum Rex sustulerat, ne tabulis quidem, quibus inscriptae fuerant, in foro relictis [25])? Nullius ergo vsus fuisset iste PAPIRII labor, quem tamen illo tam illiterato seculo gratis ac veluti temporis fallendi caussa susceptum fuisse, nemo temere crediderit.

Ergo

23 Non placet argumentum, quo vsus hic est Ill. HEINECCIVS *Obs. hist. de iure Papiriano §. IV.* qui actum egisse PAPIRIVM, ait, si sub TARQVINIO PRISCO colligendis Regum legibus operam dare voluisset, quippe quas iam tum collegerat ANCVS MARCIVS, qui teste LIVIO *Lib. I. c. 32. sacra omnia ex Numae commentariis in album relata proponi in publico iusserat*, idque ἐν δρυίναις σανίσιν, *in tabulis quernis*, ceu obseruat DIONYSIVS HALICARNASS. *Antiquit. Rom. Lib III. p. 178.* ANCVS enim MARCIVS neutiquam leges Antecessorum suorum omnes, sed tum LIVIO tum DIONYSIO teste, commentarios tantum, quos NVMA de sacris conscriptos reliquerat, a Pontificibus sumtos, transcripserat in tabulas quernas, easque in foro proposuerat legendas quibuslibet.

24) *Observ. histor. c. l.*

25) Vid DIONYSIVS HALICARN. *Lib. IIII. p. 245. ed. Sylb.*

Ergo TARQVINIORVM aetas nondum vidit PAPIRII collectionem; ergo frustra omnino sunt, qui eandem illi adscribant. Et quid nunc relinquitur? — PAPIRIVM scripsisse post Reges demum exactos. Sed nullum etiam temporis punctum erat, in quo collectione eiusmodi magis necesse videbatur, nullum, in quo exoptatior illa cuique exire poterat, quam idem illud. Respublica enim, SVPERBO exacto, libertati reddita, reddenda quoque erat legibus, sine quibus libertas nulla. Sed has tum vetustas, tum TARQVINII tyrannis aboleuerat omnes. Ideo PAPIRIVS leges NVMAE sacras restituebat, restituebant quoque ideo Consules primi SERVII TVLLII de contractibus leges, aliasque δημοτικὰς, verumtamen collectio, quae omnes complecteretur Regum Romanorum leges, tunc aderat nulla, quae tamen eo magis necessaria videbatur, quominus, praeter regias, vllae tum exstarent leges, quas Consules in componendis caussis controuersis sequerentur. Quotus igitur quisque dubitaret, *ius* nostrum *ciuile Papirianum* hac demum aetate, sub primis Consulibus, prodiisse in lucem? Ast tela in nos retorquent Aduersarii nostri; quid enim, inquiunt, regibus exactis, recuperata libertate, opus

 erat

erat collectione legum regiarum, quae vna cum auctoribus suis i. e. regibus exactae sunt, vt POMPONIVM [26]) testari fingunt in verbis sequentibus: *Exactis deinde Regibus Lege Tribunicia*, OMNES LEGES HAE EXOLEVERVNT; *iterumque caepit populus Romanus* INCERTO *magis* IVRE *&* CONSVETVDINE *ali, quam per* LATAM LEGEM, *idque prope viginti annis passus est.* Sed vereor profecto, ne frustra testimonium denuncietis POMPONIO; recusat enim is omnino vobis adclamantibus auriculam opponere, cui quippe ne in mentem quidem vnquam venit, affirmandi, regibus exactis abrogatas quoque cum iis esse leges eorum omnes [27]), sed qui eas solum exoleuisse dicit. Quodsi vero in natiuam ac veram verbi *exolescere* notionem inquirimus, illud proprie notare

26) L. 2. §. 3. D. *de* O. I.

27) Sic sentit quidem etiam THOMASIVS in diss. *de Naeuis Iurispr. Rom. ex Hist. Iuris ab eiectis Regibus ad public. LL. XII. Tabb.* Obs. I. §. 7. *Populum* nempe *Rom. contra ius fasque vna cum Regio nomine & potestate leges quoque regias omnes eiecisse*, sed egregie ei dicam iam scripsit *Ioan* LVZAC *in Spec. Acad. exhib. obseruationes nonnullas apologeticas pro ICtis Rom. ad loc. Cicer. in Or. pro Murena c. XI — XIII. pr. Lugd. Batav. 1768. P. I. Cap. I. §. XI.* cfr. & tres dissert. *Cl.* BONAMY insertae *Tom. XII. Monum. Acad. Reg. Liter. Paris. p.* 27 seqq.

notare inuenimus, *tempore & interuallo*, non ſtatim *deſinere* [28]). Nihil itaque aliud his verbis POMPONIVS ſignificat, quam quod, Regibus exactis, leges, ab iis latae, ſenſim in deſuetudinem abierint, vti recte animaduerterunt *G. van der* MVELEN [29]), *Ger.* COCCEII [30]), & *Adr.* STEGER [31]). Inuoluit igitur τὸ *exoleſcere* tempus, per quod leges regiae paulatim perierunt, id quod & ipſe POMPONIVS innuit, dum Populum Romanum iterum prope viginti [32]) annis, nempe vsque

28) CVRTIVS *III.* 13. 17 QVINCTILIAN. *Inſt. Orat. I.* 6.
29) *Exercit. in Hiſt. Pomponii de O. I. §. 3. p.* 360.
30) *Comm. ad Tit. Pand. de O. I. ad §. 3. p.* 40.
31) Diſſ. *de Lege Tribunicia & inde nato incerto iure ad L. 2. §. 3.* D. *de* O. I. Lipſ. 1736. *§. 16. p.* 32 *ſeq.*
32) Sunt quidem, qui ἀναχρονισμὸν POMPONII hic ſibi deprehendere videntur, ideo nempe, quia non viginti, ſed ſexaginta fere annos intercesſiſſe credunt a legibus regiis ſublatis ad promulgatas duodecim tabulas, ad quem tollendum varia attulerunt, quae recenſuit *Corn. van* BYNCKERSHOECK *in Praetermiſſ. ad L.* 2 §. 3. D. *de* O. I. penes VHL. *p.* 237 Is vero, vt ab hoc ἀναχρονισμῷ POMPONIVM liberet, in libris ſcriptum fuiſſe *VIgint. annis*, exiſtimat, quod *ſexaginta*, non *viginti annis* exponi debebat. Et ſic conuenire temporis rationem putat, dixiſſet quippe POMPONIVS, inter finem legum Regiarum & initium decemuiralium intercesſiſſe ſexaginta annos, non plene, ſed, vt ait, *prope*, quia vnicus deſit, nam iuſta

vsque ad XII. Tabulas, incerto magis iure, & consuetudine fuisse actum, quam per latam aliquam legem refert, ad quod vsque tempus

iusta computatione, ab aliis iam exacte inita, inueniri modo anni quinquaginta & nouem, id est, *prope sexaginta.* Notasse etiam CHARONDAM, codicem esse MS. qui pro XX. exhibeat LX. vt ita etiam error esse potuerit in numero. Arrisit quidem haec BYNCKERSHOECKII coniectura *I. A.* BACHIO *hist. Iurispr. Rom. Lib. I. Cap. II. Sect.* 2. *§. 1. not b. I. S.* BRVNQVELLO *Hist. Iuris. Rom. Germ. P. I. Cap. II. §. 3.* multisque aliis placuit, magni nominis ICtis, mihi tamen non aeque. Emplastrum omnino imposuerunt POMPONIO, vbi vulnus ei non est. POMPONIVS enim hic neutiquam seriem annorum definire voluit, quae a regibus exactis ad promulgatas vsque XII. Tabb. leges intercesserunt, neque etiam asserit, quod intra totum hoc temporis interuallum populus Romanus iure incerto vsus fuisset, minime! haec enim si mens eius fuisset, certe non *exoleuerunt,* sed *abrogatae sunt*, dicere oportuisset: potius per *ius incertum* illum reipublicae Romanae statum intelligit, quo, postquam leges regiae omnes exoleuerunt, nullius legis habita ratione, in solius Magistratus Patrumque arbitrio omne ius, legesque omnes positae fuerunt; id quod non statim post reges exactos euenisse, verbum EXOLESCERE clare indicat, quod, vt supra monuimus, est idem, ac sensim in desuetudinem abire. Potuit itaque omnino fieri, vt vsque ad XX. prope annos ante XII. Tabb. LL. fuerint leges regiae aliquali saltim in vsu, vsque dum prorsus perierint, adeo vt populus Rom. tantum prope XX. annis iure incerto fuerit actus.

pus itaque leges regiae in vſu quodam fuerint neceſſe eſt. Nam ſi vna cum regibus exactis, exactae quoque eorum leges fuisſent, non viginti, ſed ſexaginta fere annis caruiſſet iure certo populus Romanus, tot enim a Regibus eiectis ad promulgatas duodecim tabulas interceſſerunt anni. Accedit, quod idem IVNIVS BRVTVS, qui Legem illam, *ne vnquam Romae alius Rex regnaret*, Tribuniciam [33]) ad populum tulit, ſtatim poſt reges eiectos leges TVLLII de contractibus, quas TARQVINIVS ſuſtulerat omnes, reuocauerit in vſum [34]). Immo vero auctor eſt LIVIVS [35]), leges regias vna cum legibus duodecim tabularum conquiſitas eſſe, poſtquam Roma A. V. C. CCCLXV. a Gallis, qui eam occupauerant, relicta eſſet atque refecta. Quomodo autem haec conciliabitis, ſi leges regiae vna cum ſuis auctoribus fuiſſent abrogatae? Certum eſt itaque, collectionem *Papirianam* poſt regifugium demum in lucem prodiiſſe, & quidem, vt mihi perſuadeo, ſub primis Conſulibus. Hinc non eſt, quod cum HEINECCIO

33) Vid. *van der* MVELEN *Exercit. in hiſtor.* POMPONII *§. 3. p. 359* ſeq.

34) DIONYSIVS HALIC. *Lib. V. p. 278.*

35) *Lib. VI. c. 1.*

cio [36]) ſtatuas, *ius* illud *ciuile Papirianum* eo tempore, quo teſte DIONYSIO [37]) *ius maxima ex parte conſtabat virorum poteſtate praeditorum praeiudiciis, & perpauca in ſacris libris habebantur, quae legum vim obtinerent:* nondum fuiſſe collectum, ſed ius illud admodum incertum cauſſam demum dediſſe PAPIRIO, leges regias in faſciculum colligendi, & neglectas quodammodo in vſum hominumque memoriam reuocandi. Pertinet enim DIONYSII locus ad *A. V. C.* CCXCIII. ſecundum aeram Catonianam, quo tempore Reipublicae ſtatus aliam plane induerat faciem. Turbabatur enim hoc tempore rurſus a ſuis Tribunis plebs, qui, vt euerterent Patrum de extendendo regimine ariſtocratico conſilia, aſſerebant, nihil eſſe liberae ciuitati conuenientius, quam aequabilem & communem efficere rempublicam, & cunctorum ciuium ius aequare [38]) i. e. vt plebeii quoque ad magiſtratus tam ciuiles quam ſacros admitterentur, atque ἰσηγορία ſiue dicendi libertas, omnibus ex aequo concederetur, fierentque priuata publicaque ex legum

36) *Obſerv. hiſtor. cit. §. V.*
37) *Lib. X. init. pag. 627.*
38) Hanc ἰσονομίαν dudum ante iam TVLLIVS Rex promiſerat oratione ad populum habita penes DIONYSIVM *Lib. IV. p. 215. ed. Sylb.*

legum praeſcripto [39]). Nam nondum erat ἰσονομία in Vrbe, id eſt, eo nondum fruebantur omnes iure, quo Patricii, qui ſoli tunc magiſtratus gerebant, iudicia adminiſtrabant ſoli, atque lites *iure* decidebant, *quod maxima ex parte conſtabat virorum poteſtate praeditorum praeiudiciis* i. e. qui ea praecipue, quae in ſimilibus cauſſis antea iudicata reperierunt, obſeruabant, eorumque exemplo lites propoſitas componebant. Nam etſi legibus ſcriptis non erant deſtituti magiſtratus ius dicentes, eoque tempore *Ius Papirianum* iam adfuit, ſtudio tamen & de induſtria non obſeruabant leges illo contentas, plebeiis quippe, pauperibus, debitoribus, atque a potentioribus circumuentis, proſpicientes, easque ſupprimebant, vt ſic in deſuetudinem abirent, ea propter quod plebi gratae eſſent [40]). Anteceſſorum potius iudicata ſequebantur, & in negotiis ad coërcendam plebem, augendamque miſeſeriam & paupertatem aptis, eadem aſperitate,

39) Confr. hic RITTERVM ad HEINECCIVM *Lib. I. Cap. I. §. 2. ad not.* *) *p. m. 4.*

40) ſic ſentit etiam Cl. C. F. ZEPERNICK in *Diatr. de rerum perpetuo ſimiliter a Centumuiris iudicatarum auctoritate §. VII. not. d.* & *§. X.* adi. SICCAMAE libello *de Iudicio Centumvirali* nouiter ab Eo edito p. 313. & 329 ſeqq.

tate, duritie, ac inhumanitate, qua antecessores, procedebant. Debitores enim obaeratos, nulla, ne iustissima quidem, exceptione admissa, in carceres atque seruilem conditionem detrudebant, crudelissimeque in terga eorum saeuiebant, quam quidem crudelitatem, atque insolentiam e popularibus SERVII TVLLII legibus haud probandam, procul dubio maiorum exemplis & iudicatis excusarunt.

§. XXV.

Indagatur ratio, cur Papiriana collectio IVS CIVILE PAPIRIANVM *appellata fuerit.*

Appellatur autem haec legum regiarum collectio, a PAPIRIO composita POMPONIO teste [41]) *ius ciuile Papirianum.* Sed cur? *non quia* PAPIRIVS *de suo quicquam ibi adiecit, sed quod leges sine ordine latas in vnum composuit:* Sic tibi respondet POMPONIVS, hacque eadem ex ratione & infra [42]) appellationem *iuris ciuilis Flauiani* explicat. Sed an responsio haec sitim tuam expleuerit, valde equidem dubito. Ex POMPONIO tuo

41) *L.* 2. *§.* 2. D. *de* O. I. quem locum infra *§. V.* integrum exhibui.

42) *L.* 2. *§.* 7. D. *de* O. I.

tuo nunc percepisti, cur nostra collectio appellata sit *ius Papirianum?* ideo scilicet, quia a PAPIRIO est consarcinata, quia eum auctorem habet, id quod tibi forte iam ante venire in mentem poterat. Sed cur collectio haec *Papiriana* in specie nuncupata sit *Ius* CIVILE *Papirianum?* id quidem ex POMPONIO non constat. Videamus itaque, quid coniectura hac in re assequi possimus. — Ex verbis POMPONII supra in medium prolatis non improbabile sane videtur, PAPIRIVM in colligendis legibus regiis ordinem quendam secutum esse [43]), quid itaque, si collectionem nostram ideo IVS CIVILE *Papirianum* dictam fuisse putarem, quod forte prima pars eius *leges ciuiles proprie tales* continuerit? egregie enim obseruauit B. HEINECCIVS: [44]) *solemne fuisse veteribus tantum non omnibus, titulos libris ac scriptionibus suis a primis tractationis capitibus arcessere.* Quid si itaque leges ciuiles proprie tales primum in *iure Papiriano* locum obtinuissent, nonne forsan ab his IVRIS CIVILIS

43) De *iuris ciuilis Papiriani* ordine infra quaedam adspergam.

44) *Comment. ad Legem Iuliam & Papiam Poppaeam* (Amst. 1731.) *Lib. II. Cap. I. §. 1. pag. 104* seq.

LIS nomen accipere potuit? Verum si forsitan, quod vereor, nimis audax haec tibi videatur coniectura, quum neque, an leges ciuiles primum in *iure ciuili Papiriano* locum tenuerint, neque, si tenuissent, an libro suo a prima hac eius parte titulum *iuris ciuilis Papiriani* arcessiuerit auctor, satis iam constet, accipe aliam coniecturam, eamque longe profecto probabiliorem. Tradit CAIVS, celeberrimus ille Romanorum Iurisconsultus, in *libro primo Institutionum* [45]) principio haec: *Omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure vtuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium ciuitatis est: vocaturque* IVS CIVILE, *quasi ius proprium ipsius ciuitatis.* etc. id quod totidem verbis transscriptum etiam in IVSTINIANI *Institutionibus* [46]) inuenimus. Iam vero regiae leges, in *iure Papiriano* comprehensae, erant ius, quod populus Romanus ipse sibi constituit: latae quidem illae a Regibus, inde *regiae* dictae, sed populi suffragiis perlatae, i. e.

45) *L. 9. D. de Iust. & Iure.* vide & *Ant* SCHVLTINGII *Iurisprud vet. Anteiust. p. 2. not. 7. & 8.* (*edit.* AYRER. Lips. 1737.)

46) §. *1. I. de I. N. G. & C.*

i. e. quarum quidem auctores fuerunt Reges, populi tamen ſuffragiis in comitiis approbatae [47]), penes quem tunc legum iubendarum erat poteſtas [48]), Sed erant etiam quaſi ius proprium Romanae ciuitatis in ſenſu ſane ſpecialiſſimo; audi modo, quid IVSTINIANVS [49]) e. gr. *de patria poteſtate*, ex lege ROMVLI orta, loquatur; *Ius autem poteſtatis, quod in liberos habemus, proprium eſt ciuium Romanorum; nulli enim alii ſunt homines, qui talem in liberos habeant poteſtatem, qualem nos habemus*; & id quidem de omnibus fere Regum Romanorum legibus dici poteſt. Erant itaque omnino *ius ciuile* in eo ſenſu, quem CAIVS & IVSTINIANVS ex doctrina Romanorum veterum tradiderunt. Quare non multum a vero me declinaturum exiſtimo, ſi collectionem Papirianam ideo IVS CIVILE *Papirianum* appellatam fuiſſe ſtatuam, quia continuit ius, quod Populus Romanus ipſe ſibi conſtituit, quaſi ius proprium Romanae ciuitatis.

L 2 §. XXVI.

47) Vide, quae de legum ſub Regibus iubendarum ritu protulit HEINECCIVS *Hiſt. Iur. Civ. Lib. I. c. I. §. VII.*

48) DIONYSIVS *Lib. VI. pag.* 392. ed. *Sylb.*

49) *§. 2. I. de Patr. poteſt.*

§. XXVI.

IVS CIVILE PAPIRIANVM *publica auctoritate compilatum fuisse, negatur.*

Sed incidit nunc quaestio, an Pontifex noster publica auctoritate opus suum congesserit, an vero priuatis tantum auspiciis? quam, si placet, paucis nunc disceptemus. Quicunque vero eam attigerunt, TERRASSONVS [50]) atque *Niccol.* TORTORELLI DI FOGGIA [51]) in ea opinione sunt versati, vt puta-

50) *Histoir. de la Iurispr. Rom. P. I. §. IV. p.* 20. locum huc concernentem vide supra *p.* 53. vbi eum excerpsi,

51) *Degli Antichi Giureconsulti Rom. Lib. I. cap.* 1. *p.* 2. Verba, si placet, ipsa apponam, quia libellus forte in paucorum est manibus. *Fu di tanta autorità*, inquit, *presso il Regnante* (nempe *Tarquinio il Superbo) Sesto* PAPIRIO *Giureconsulto, che le sparse, e confuse leggi de' primi Re di Roma di unire, e di raccorre in un volume li venne imposto, poichè non stando in tavole dettate, o in pubblici monumenti: ma nelle menti di rozzi uomini, come quella età comportava, piùttosto venivano in dimenticanza, ad esser peso del Popolo, che a salvezza, e sollevamento dello Stato. A qual comando non sottraendosi Sesto* PAPIRIO, *tutte le antiche leggi, così alla priuata ragione, che al pubblico dritto appartenenti, da quelle dettate da Romolo fondatore della Romana grandezza fino alle pubblicate dal pacifico Servo Tullio,* (ROSIN. *cap. 5. lib. 8.) da lui furono in un libro unite, e raccolte, divisandole in ventiquattro capi, otto appartenenti al pubblico dritto,*

putarent, *Ius Papirianum* non publica tantum auctoritate fuisse compositum, sed publico etiam decreto atque iuramento confirmatum. Et quidem vel a Senatu Populoque Romano, vt prior sentit, vel, quae TORTORELLI est diuinatio, ab ipso TARQVINIO SVPERBO demandatum id muneris PAPIRIO censent, vt, quae confusae admodum dispersaeque iacuerant, Regum Romanorum leges colligeret in vnum, easque neglectas, nam nondum in tabulas publicaue monumenta eas tunc temporis relatas, sed ciuium memoriae tantum mandatas fuisse, somniant, in vsum hominumque memoriam quasi postliminio reuocaret. TORTORELLI plus vltra progreditur [52]). Leges has regias,

ro, e sedici a beneficio della polizia de' privati. Questo libro così composto fu appellato CIVIL RAGIONE PAPIRIANA, *e per sacra tenuta non che dal Senato, e Popolo, ma per tale anche dallo stesso Romano Re.*

52) *Così unite, e raccolte in un libro le regie leggi dal Giureconsulto* PAPIRIO, *e datole il nome di leggi Papiriane, senza che egli del suo posto vi avesse un menomo detto; in tanta autorità ne vennero, che* TARQVINIO *non solamente forzò il Senato, che l' osservasse con giuramento, ma fe sì, che il Popolo di Roma s' obbligasse di venerarle,* (DEMSTER *ad cap. ultim. lib. 8.* ROSINI) *facendole chiamar Curiate, perchè in quel tempo in trenta Curie Roma si divideva, e per leggi padrie s' avessero, e s' apprezzassero:*

regias, in corpus ſic a PAPIRIO redactas, appellatasque ex eius nomine *Papirianas*, quamuis nihil omnino addiderit de ſuo, ad tantam perueniſſe auctoritatem docet, vt TARQVINIVS non tantum Senatum, eas ſeruandi, iureiurando adegerit, ſed effecerit etiam, vt populus Romanus, hasce colendi, ſeſe obſtringeret, *curiatas* ideo eas appellare iubens, quia tunc temporis Roma in Curias triginta diuiſa fuerit, vt ita, ceu patriae leges, eo maiori haberentur in pretio. Denique tradidiſſe *Papirii* librum collegio Pontificum, vt in penetralibus eorum, tamquam arcanum, perinde ac *libri Sibillini*, *Palladium* caeteraeque res ſanctae adſeruaretur.

Sed hoc inane commentum eſt; neque PAPIRIVS publica auctoritate ad ſcribendum ſe contulit, nec vnquam collectio eius publica auctoritate nec iuramento confirmata eſt. Nulla de hac re apud POMPONIVM exſtat memoria, nec, qui praeter eum ex veteribus id prodiderit, inuenitur vllus. Et multo quidem minus credendum eſt, PAPIRIVM

ro: ed affinchè tal libro come arcano, e ſegreto Sagramento in maggior pregio foſſe tenuto, al Collegio de' Sacerdotì conſervar fece al pari de' Sibillini libri, del Palladio, e delle ſagre, care coſe della gentile, vana credulità.

RIVM SVPERBI iuſſu concinnaſſe ſuam collectionem, quem legum magis euerſorem, quam auctorem, inſtauratoremue ſupra cognouimus. Quid itaque hoc aliud eſſet, quam *Delphinum ſyluis adpingere, fluctibus aprum?* Admodum quidem probabile videtur, PAPIRIVM ſuaſu atque hortatu BRVTI compilaſſe opus ſuum, verumtamen ne ſic quidem crediderim, publica eum ſcripſiſſe auctoritate, cum penes BRVTVM, vtut conſul eſſet, tamen non fuerit νομοθεσίας ius, quippe quod adhuc ſub libera Republica populo competierit [53]) ita tamen, vt niſi prius Senatus deliberauerit, neque decretum, neque adprobatum ſit quidquam populi ſuffragiis [54]). Quamquam vero priuato tantum, vt equidem arbitror, ſtudio compoſitum fuerit *Ius Ciuile Papirianum*, mox tamen in foro receptum fuiſſe, magnamque inde huic codici acceſſiſſe auctoritatem, credibile videtur.

53) DIONYSIVS *Lib. VI. p. 392.*

54) DIONYSIVS *Lib. VII. p. 447.*

SECTIO V.

§. XXVII.

IVS CIVILE PAPIRIANVM *num omnes omnino Regum Rom. leges, an sacras tantum* NVMAE *continuerit, disquiritur, variaeque primum de hac re proferuntur ICtorum sententiae.*

Iam ad quaestionem progredimur, quorum Regum leges PAPIRIVS libro suo inseruerit? Num omnes omnium Regum, an sacras tantum NVMAE leges? Variae atque diuersae sunt Iuris interpretum de ea re sententiae. Sunt, qui prius, nec desunt etiam, qui posterius statuunt. Vtraque sententiarum doctissimos habet auctores. In priori sunt *V.* FORSTERVS [1]), *Fr.* BALDVINVS [2]), *Fr.* HOTOMANNVS [3]), *P.* MERVLA [4]), *B.* RVTILIVS [5]), *Niccol.* TORTORELLI DI FOGGIA [6]), *G. van der* MVELEN [7]), *B. G.*

1) *Histor. Iur. Civ. Rom. Lib. II. c. 2. p. 303.*
2) in *Comment. in Leges Romuli Paris 1554. p. 27.*
3) *Descript. eor. ICtor. quae a Pompon. sub Tit. de O. I. enumerantur* in *I. G.* CLAVSINGII *Iur. Publ. Rom. Fasc. III. p. 709.*
4) *de Legibus Romanor. Cap. VIII. §. 1.*
5) *Vitae ICtor. Cap. I. p. 2.*
6) *Degli Antichi Giureconsulti Rom. Lib. I. c. I. p. 2.*
7) *Exercit. in Histor. Pomponii de O. I. ad L. 2. §. 36. de O. I. p. 651.*

B. G. STRVVIVS [8]), *I. S.* BRVNQVELLVS [9]), *C. G.* HOFFMANNVS [10]), *I. G.* HEINECCIVS [11]), *C. F. I.* SCHORCH [12]), *Cl. Ios. de* FERRIERE [13]), *Ant.* TERRASSONVS [14]), *Herm.* CANNEGIETER [15]), *L. A.* GVADAGNI [16]), *I. L.* L' ESTOCQ [17]) aliique. Posteriori autem sententiae adhaerent, *Greg.* MAIANSIVS [18]), *I. D.* RITTER [19]), *I. A.* BACHIVS [20]), *I. Ch.* RVDOLPH

8) *Histor. Iur. L. I. §. 5.*

9) *Histor. Iur. Rom. P. I. c. I. §. 17.*

10) *Histor. Iur. Rom. Iust. Vol. I. P. I. pag. 13. & Vol. II. P. I. Sect. VIII. §. 2. p. 64.*

11) *Obs. hist. de iure Papir. §. 7.* & *Histor. Iur. Rom. Lib. I. c. 2. §. 16.*

12) *Delineat. Histor. Iur. Civ. C. I. S. I. §. 28.*

13) *Histoir. du Droit Rom.* Ch. II. p. 15.

14) *Histoir. de la Iurispr. Rom. P. I. §. IV. p. 20.*

15) *Obseruat. Iur. Rom. Lib. I. c. 15. p. 97.*

16) *Institut. Iur. Civ. Proëm. Sect. II. §. 2.*

17) *In der Grundlegung einer pragmat. Rechtshist. Koenigsb. 1766. p. 140.*

18) *Ad triginta ICtor. omnia Fragmenta, quae extant in iur. civ. corpore Commentarii. Genev. 1764. Tom. II. p. 129* seqq.

19) ad HEINECCII *Hist. Iur. Rom. Lib. I. c. 2. §. 17. not.* *) *p. 33.*

20) *Histor. Iurispr. Rom. Lib. I. C. I. Sect. II. §. 6. not. o.* & *§. 7.*

DOLPH [21]), *I. H. C. de* SELCHOW [22]), *C. A. de* MARTINI [23]), & nouiſſime *Io. Bern. Chriſt.* EICHMANN [24]). Ego vero omnium horum ICtorum rationibus accuratiſſima mentis trutina examinatis, hanc feci cogitationum mearum ſummam, eorum ſententiam ſine dubio eſſe veriſſimam, qui *ius ciuile Papirianum* omnes regum Romanorum leges a ROMVLO ad SERVIVM vsque TVLLIVM latas, easque, tam ſacras, quam ciuiles, comprehendiſſe, arbitrantur.

§. XXVIII.

IVS CIVILE PAPIRIANVM *omnes leges regias continuiſſe probatur.*

Colligenda itaque nunc ſunt argumenta, quibus, conſcriptas exſtitiſſe in *iure ciuili Papiriano* omnes omnium Regum Rom. leges, & ſacras & ciuiles, comprobatur. Et en illa, quae habeo! PRIMVM in auctoritate POMPONII acquieſco, qui in egregio illo

21) *Entwurf einer algem Geſchichte der in Teutſchl. geltend. Reichsgeſetze. Th. 1. B. 1. Abth. 1. Hauptſt. §. 20.*

22) *Geſchichte der in Teutſchl. geltend. fremden und einheim. Rechte. Th. I. Cap. I. Abſchn. I. §. 14. p. 17. (Ed. G ett. 1778.)*

23) *Ordo hiſtor. Iuris Civ. Cap. II. §. 18. p. 38.*

24) *Erklärungen des bürgerlichen Rechts nach Anleitung der Herrn Ord.* HELLFELDS *Lehrb. der Pand. Th. I.* Berl. 1779. Lib. I, Tit. 2. §. 48. p. 179.

illo fragmento, quod ex Enchiridio eius supra §. *VII.* proposui, non semel id clare testatur. Is enim cum enarrasset, ROMVLVM, posteaquam, aucta ad aliquem modum ciuitate, populum in triginta partes, quas *Curias* appellauit, diuisisset, *leges* quasdam & ipsum *Curiatas* ad populum tulisse; tulisse & sequentes Reges, haec addit: *quae* OMNES *conscriptae exstant in libro Sexti* PAPIRII. Quo igitur in loco expresse asserit POMPONIVS; *ius ciuile Papirianum* omnes omnium Regum Rom. leges a ROMVLO ad SERVIVM vsque TVLLIVM latas, non sacras tantum, sed etiam ciuiles, continuisse, de solis autem NVMAE legibus, iisque *sacris* tantummodo, in vnum corpus a PAPIRIO redactis, non tantum in toto hoc loco οὐδὲ γρῦ reperitur, sed expresse etiam POMPONIVS legum ROMVLI Regumque sequentium mentionem facit, quas OMNES in libro *S.* PAPIRII conscriptas exstitisse testatur. Idem quoque paucis interiectis affirmat, vbi ait; *Is liber — appellatur ius ciuile Papirianum, — quod leges sine ordine latas in vnum composuit*; id quod & paullo inferius [25]) denuo confirmat: *Fuit autem*, inquiens, *in primis peritus P.* PAPIRIVS, *qui* LEGES

25) *L. 2. §. 36. D. de o. i.*

LEGES REGIAS *in vnum contulit:* omnia haec loca clare ſatis loquuntur, PAPIRIVM omnes absque diſcrimine leges regias, ergo tam ciuiles quam ſacras ſuae inſeruiſſe collectioni. Sed vtut decretorium ſit POMPONII noſtri teſtimonium, vereor tamen, ne ſit, qui de auctoritate eius ideo ſubdubitet, quod vnicum ſit, cum, teſte MINVCIO FELICE [26]) *Teſtimonium & hominis, & vnius, infirmum ſit.* Verum quod egregie iam obſeruauit *Io. Guil.* BERGERVS [27]): *vnum teſtem non eſſe temere reiiciendum, ſed plus vni narranti & affirmanti, quam decem tacentibus & ſilentibus, eſſe deferendum, ſiquidem vnus ille meliorem habuerit occaſionem cognoſcendae rei, & alias ſit ſpectatae fidei, & prudens ſcriptor;* iſtud, ſi vnquam, certe in noſtro POMPONIO locum ſuum inuenit. Adeſt in eo *prudentia*, adeſt *integritas.* Potuit primum dicere verum, (in hoc enim *prudentia* teſtis conſiſtit) nam non rei tantum, vti erat, recte cognoſcendae idoneam facultatem habuit, dum ſua adhuc aetate codicem *Papirianum* probabiliter ſuperſtitem fuiſſe, ipſe perſpicue ſatis innuit, vt infra oſten-

26) in OCTAVIO *cap. vlt.*

27) Diſſ. Περὶ τῶν ἅπαξ εἰρημένων *ſiue de auctoritate vnius teſtis.* Vitemb. 1722. §. 25.

oſtendam; ſed fuit etiam ea in re, quam deſcribit, ſatis verſatus [28]), quum fuerit ICtus, *quos, vt nata ſint reipublicae ſuae iura, vt adoleuerint, vt denique ad eam, qua ſuis temporibus gaudebant, formam peruenerint, planiſſime intellexiſſe praeſumimus*, vti eleganter ſcripſit HOFFMANNVS [29]). At num voluit etiam verum dicere POMPONIVS? voluit omnino. Nam *voluntas veri dicendi* ex ſententia Summe Reuer. ERNESTI [30]) intelligetur tum, cum nulla cauſſa falſi, graues autem veri tradendi, reperientur. Vtrumque autem cadit in noſtrum POMPONIVM, quippe qui non ſolum nulla re, quominus vere diceret, impeditus fuit, neque ſpe lucri, nec metu periculi, aut partium ſtudio addictus [31]); ſed cauſſam potius idoneam habuit, quare vellet vere dicere: adornauit enim hanc ſuam Iuris Romani hiſtoriam in vſum Romanae iuuentutis, quae operam nauabat iurisprudentiae. Conſcripturus nempe *Enchiridion Iuris*, in quo prima legitimae ſcientiae elementa, ſuccinctas rerum definitiones

28) BERGER *diſſ. cit.* §. 33. p. 33.
29) *Meletemat. ad Pandect. Diſſ. IV.* §. 3.
30) Diſp. *de Fide hiſtorica recte aeſtimanda* Lipſ. 1746. §. X.
31) BERGER *Diſſ. cit.* §. 38. & 39.

tiones ac diuiſiones [32]) veluti in nucleo exhibuit iis, qui animum adpellunt ad jurisprudentiae ſtudium, ante omnia originem & incrementa iuris demonſtrauit, non ſperans in ipſo Iurisprudentiae ſtudio progreſſionem felicem, niſi ſi quis hiſtoriam Iuris praecepiſſet [33]). Quotus igitur quisque dubitaret, hanc eum non ita tradidiſſe Studioſis ſuis, vti tenuit ipſe? Id erat primum. Sed ſuppetunt & alia argumenta, non leuioris ſane ponderis, quae noſtram ſententiam euincunt. Sat validum omnino argumentum etiam exinde peto, quod Fragmentum POMPONII aſſerat, iſtum PAPIRII librum appellatum eſſe *Ius Ciuile Papirianum*, id quod ſat magnam ſane fidem facit, illam collectionem non ſolas, vt putant, leges NVMAE ſacras, ſed & leges Regum ciuiles proprie ita dictas continuiſſe; Siue enim ſtatuas, librum PAPIRII ideo *ius ciuile Papirianum* inſcriptum fuiſſe, quod

32) Conſtat hoc ex binis Fragmentis, quae ex *Enchiridii libro ſingulari*, a POMPONIO conſcripto, vnde *L.* 2. *D. de* O. I. a TRIBONIANO decerpta eſt, in Pandectas relata ſunt, nempe *L.* 2. *D. de Iuſtitia & Iure* & *L.* 229. *de D. Verbor. Significat.* vti cenſum eorum inſtituit *Iac.* LABITTVS *Indice Legg. Pand.* ap. WIELING *Iurispr. reſtit.* *pag.* 214.

33) Vid. HEINECCIVM *praefat. opuſc. ad Hiſt. Iur. pert. ab* VHL. *collect.* praemiſſa *p.* 52. & REINOLDVM *Opuſc.* p. 530.

quod comprehenderit ius, quod Populus Romanus ipſe ſibi conſtituit, quodque ipſius proprium ciuitatis eſt, id quod, vt ſupra docui, probabilius eſt, vel quod leges Regum Romanor. ciuiles proprie tales primum in eo locum obtinuerint; in vtroque certe caſu conuenientiſſima noſtrae collectioni haec erit appellatio, ſi illam omnes leges regias tam ſacras, quam ciuiles comprehendiſſe, mecum dicas, quae inconuenientiſſima & ab idiomate Romanorum prorſus aliena erit, ſi *ius ciuile Papirianum* ſolummodo *ius Pontificium* ſiue *ſacrum* fuiſſe aſſeueras, quod enim ſi continuiſſet ſolum, quouis ego pignore certare auſim, PAPIRII librum denominatum potius fuiſſe *ius ſacrum Papirianum*. Argumentum vero ab inſcriptione *Iuris Ciuilis Papiriani* deſumtum rite procedere, patet exinde, quod denominatio haec ad exemplum *Papirianae collectionis*, etiam tributa eſt *collectioni* illi *Flauianae*, quae teſte POMPONIO 34) legis actiones ex legibus XII. Tabularum compoſitas, ideoque ſine dubio tam ad ius ſacrum quam ciuile directas continuit, & *ius ciuile Flauianum* appellata eſt. Tandem & ratio, cur PAPIRIVS laborem iſtum, leges regias colligendi, in ſe ſuſceperit, argumen-

34) *L. 2. §. 7. D. de o. I.*

gumentum nobis haud leue praeberet pro ſtabilienda ſententia noſtra, niſi argumenta prolata iam ſatis conuincerent.

§. XXIX.

Argumenta RITTERI *trutinantur, qui* IVS PAPIRIANVM *Pontificium fuiſſe & ſacrum, arbitratur: & in hoc quidem §pho argumentum Eius* PRIMVM, *ex loco* DIONYSII *deſumtum, diluitur.*

Probatione defunctus, *ius ciuile Papirianum* omnes leges regias, & ſacras & ciuiles, complexum eſſe, opus iam eſſe videtur, vt rationes eorum contemplentur ac trutinentur, qui *ius Papirianum* Pontificium fuiſſe volunt, in quo non omnes leges regiae, ſed eae tantum fuerint, quae de iure ſacro conſtituiſſent, & quidem Regis NVMAE. Quum vero ex his Vir de elegantiori iurisprudentia egregie meritus *Io. Dan.* RITTER primum hoc ſibi negotii praecipue dari crediderit, vt ſententiam hanc nouis argumentis, iisque haud ſane contemnendis ſtabiliret, quibus moti BACHIVS, RVDOLPHVS, *de* SELCHOW, *de* MARTINI, omnesque fere recentiores in eius partes tranſiuerunt, in huius etiam Viri, RITTERI nempe, argumentis profligandis praecipue verſabor, additis deinde dubiis, quae *Greg.* adhuc

MAIAN-

MAIANSIVS atque CANNEGIETERVS huic ſententiae noſtrae oppoſuerunt. Vrget in primis DIONYSII locum, illum ipſum, quem ſupra §. *VII.* exhibui, vbi, poſteaquam narrauerat Hiſtoricus, ANCVM MARCIVM, conuocatis Pontificibus, ſumtos ab iis commentarios, quos NVMA de ſacris conſcriptos reliquerat, transſcripſiſſe in tabulas, easque in foro propoſuiſſe, quas tamen vetuſtas tandem deſtruxiſſet; haec addit: *μετὰ δὲ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων ἐις ἀναςροφὴν δημοσίαν αὖθις ἤχθησαν ὑπ' ἀνδρὸς ἱεροφάντȣ Γαΐȣ Παπιρίȣ, τῶν ἁπάντων τῶν ἱερῶν ἡγεμονίαν ἔχοντος*, quibus in verbis praeſidium ſat validum ſententiae ſuae inueniſſe ſibi videtur. „*En! igitur*, inquit, *habemus* PAPIRIVM, „*qui fuit* TARQVINII SVPERBI *temporibus* „*ex principalibus viris, quique tabulas, ſacras* „*leges continentes, poſt exactos Reges, reſti*-„*tuit. Is vero* GAIVS *appellatur praenomi*-*ne.*„ Verum quamuis recte quidem omnino & vere doctiſſimus RITTER DIONYSIVM de reſtitutione tabularum illarum intellexerit, quibus inſcriptas leges NVMAE ſacras in foro propoſuerat ANCVS MARCIVS Rex, quippe quae renouationé ideo vel maxime egere videbantur, quia vetuſtate prorſus erant conſumtae; neſcio tamen,

anne humani quid passus sit in eo, quod tabulas illas, vt ita dicam, sacras cum *iure* nostro *Papiriano* putauerit easdem. Ecquis enim persuaderi sibi pateretur, tabulas illas, leges NVMAE sacras continentes, post reges exactos, DIONYSIO teste, a PAPIRIO restitutas, fuisse illum ipsum PAPIRII librum, in quem omnes leges regias eum congessisse, POMPONIVS asserit? Absit! duplex potius erat PAPIRII opus, prorsus diuersum, vt argumentis supra demonstraui ineluctabilibus. Non discrepat itaque DIONYSIVS a POMPONIO, quippe qui neutiquam de *iure ciuili Papiriano*, sed alia plane de re differit, nempe de restitutione legum NVMAE sacrarum, quas ANCVS MARCIVS iam ante in albo publice proposuerat, quod tamen PAPIRII tempore vetustate prorsus erat exoletum. Sed fac adesse pugnam inter auctores nostros, quae tamen non est, vinceretne & tum POMPONIVS in dubio DIONYSIVM? Non dubito enim, adiicere hic calculum Doctissimo ZEPERNICKIO nostro [35]), qui vere non minus quam eleganter

35) *Praefat.* BECKII *lib. sing. de Nouellis Leonis earumque vsu & auctoritate.* Halae 1779. nouiter a se edito, egregiisque obseruationibus atque commentationibus locupletato, praemissa *pag.* 17.

ter ſcripſit nuper; *ICtorum narrationes aliis omnibus, ipſisque Hiſtoricis, quicquid dicant alii, anteferendas eſſe.* ICtos enim Romanos iuris, quale initium quisue progreſſus fuerit, notitiam optimam non tantum comparare ſibi oportuit, ſed ea etiam calluiſſe, praeſumtione ſtipati ſunt, ideoque teſtes ſunt quaſi arte periti; id quod de POMPONIO noſtro eo magis valet, quem conſtat, hiſtoriarum atque antiquitatis ſtudium mira diligentia percoluiſſe, vt multis argumentis HEINECCIVS [36]) atque REINOLDVS [37]) probarunt. Primas itaque POMPONIO deferre eo minus dubitarem, quum *Iuris Papiriani* hiſtoriam data opera & quaſi ex inſtituto in *Enchiridii* ſui *libro ſingulari* expoſuerit, in quo quippe variis, quas ibi breuiter explicuit, rerum definitionibus, tractatum hunc elegantiſſimum de origine Iuris praemiſit, animaduertens, hac hiſtoriae parte carere ſine ſummo detrimento non poſſe, qui operam nauant iurisprudentiae; quum e contra graecus ille rei Romanae ſcriptor obiter tantummodo & quaſi in tranſitu occaſione nempe reſtauratae ab ANCO MARCIO religionis, TVLLO HOSTILIO imperante fere prorſus neglectae,

 de

36) *Praefat. opuſc.* VEL. praemiſſa *p.* 27 *ſeqq.*
37) *Opuſc. pag.* 530.

de qua disseruit in loco adducto, PAPIRII mentionem iniiciat breuissimam. Sed hac depulsione iam non opus est, cum DIONYSIVS de *iure Papiriano* neutiquam, vt vidimus, loquatur. Debilitato itaque argumento hoc primo, progredimur ad alterum, quod sequens expendet §phus.

§. XXX.

Refutatur argumentum RITTERI ALTERVM, *ex singulari muneris ratione, quod gessit* PAPIRIVS, *petitum.*

Fuit porro PAPIRIVS, pergit RITTERVS, *Pontifex Maximus, ad quem, muneris sui caussa, cura tantum sacrarum legum pertinuit, quas cum, post exactos Reges, ciuitas aliam plane faciem induisset, & Consules de ordinanda republica solliciti, humanas* TVLLII *leges, veteresque consuetudines reuocassent in vsum, neglectas antea, denuo quoque describendas prouulgandasque esse censuit.* Sed neque etiam id argumentum plus ponderis habet. Frustra enim omnino sibi persuasit Vir Doctus, ad Pontificem Maximum curam tantum sacrorum legumque solummodo sacrarum pertinuisse. Pleni sunt potius annales, plena historiarum monumenta, quae asse-

asserunt, Pontificum priscis temporibus potestatem quoque maximam fuisse in rebus civilibus, ipsisque legum etiam ciuilium, omnisque iustitiae curam potissimum fuisse concreditam. Quum enim, vt recte omnino ac vere iudicauit CVRTIVS [38]), *nulla res efficacius multitudinem regit, quam superstitio; alioqui impotens, saeua, mutabilis, vbi vana religione capta est, melius vatibus, quam ducibus suis paret*, optimum duxerunt veteres, legum curam atque iustitiae administrationem esse in Sacerdotum manibus, indeque apud plerasque fere gentes antiquas arctissimo inter se vinculo sacerdotium ac regimen ciuile iuncta fuisse, inueniemus, adeo, vt, qui sacris religionis, iidem saepe etiam gubernationi reipublicae praefuerint. De *Ebraeorum* pontificibus, praeter sacras paginas, idem confirmant scriptores profani, IOSEPHVS [39]) DIODORVS [40]) atque TROIVS ipse POMPEIVS [41]). Sacerdotii porro apud *Graecos* tanta fuit existimatio, vt qui-

M 3 bus-

38) *IV. 10. n. 7.*
39) in *libro de rationis imperio cap. VI. & Antiquit. Iud. Lib XI. c. 4.*
40) *Lib. XL. apud Photium.*
41) in IVSTINI *Epitoma Lib XXXVI. c. 2. in fin.* cfr. *Io.* SELDEN. *in lib. de Successione in pontificat. Ebraeor. Lib. I. c. 13.*

busdam in locis, teste PLVTARCHO [42]), dignitas haec aequalis haberetur regiae, & penes AELIANVM [43]) de *Aegyptiis* relatum legimus, Sacerdotes eorum primis temporibus fuisse iudices, principemque illorum natu fuisse maximum, & iudicasse omnes: ac PLATO [44]) confirmat, non licuisse apud eosdem regem imperare absque sacerdotio. *Druidae* quoque Gallorum *de omnibus controuersiis publicis priuatisque statuerunt: & si quod esset admissum facinus, si caedes facta, si de hereditate, de finibus controuersia, iidem & decernebant praemia poenasque constituebant. Si quis autem priuatus aut publicus, eorum decreto non stetisset, sacrificiis interdicebant, quae poena apud eos erat grauissima*, vti IVLIVS CAESAR [45]) memoriae prodidit: &, si fides habenda DIONI CHRYSOSTOMO [46]), *absque Druidibus nil fas erat regibus exequi, ac ne consultare quidem, adeo, vt re ipsa regnarent Druidae, reges autem essent quasi ipsorum apparitores & ministri in exequendis decretis.* Idemque denique & apud veteres Ger-

42) *Quaest. Rom.* p. 291. *Tom. II. Opp.*
43) *Var. Histor. Lib. XIV. c.* 34.
44) in *Politico p.* 183 *edit. Lugd.* 1590.
45) *De bello Gallic. Lib. VI. c.* 13.
46) *Orat. XLIX.*

Germanos fuiſſe, TACITVS [47]) videtur innuere.

§. XXXI.

Continuatur, maximamque Pontificum penes Romanos olim in rebus etiam ciuilibus auctoritatem, ac iuris totius, tam ſacri, quam ciuilis non tantum ſcientiam, ſed etiam curam penes eosdem fuiſſe, oſtenditur.

Sed aliter forſan res habuit ſeſe in Romanorum republica: ibi forſitan Pontificibus tantum ſacrorum cura incubuit: — minime. Quanta & Romae Pontificum olim in rebus quoque ciuilibus auctoritas fuerit atque potentia, luculenter docet CICERO, dum in Oratione, quam reſtitutus in patriam ſtatim *pro domo ſua* ad Pontifices habuit, ita magnifice infit: *Cum multa diuinitus*, PONTIFICES, *a maioribus noſtris inuenta, atque inſtituta ſunt; tum nihil praeclarius, quam quod vos eosdem & religionibus deorum* M 4 *immor-*

47) *De Moribus Germanor* c. 7. & 12. De Sacerdotibus ſingulorum antiquae Germaniae Populorum, Gothorum nempe, Burgundionum, Francorum, Slauorum aliorumque profunda idem eruditione demonſtrauit *Io Car Henr.* DREYER *im Verſuch e. Abhandl. von d. Nutzen der heidn. Gottesgelahrtheit in Erklaer. d. Teutſch Rechte u. Gewohnh. mittl Zeit.* §. IV. in d. *Saml vermiſcht. Abhandl. zur Erlaeut. d. Teutſch. Recht. u. Althertb. 2ten Th. p. 598 ſeqq.*

immortalium, & summae reipublicae praeesse voluerunt: vt amplissimi & clarissimi ciues, rempublicam bene gerendo; pontifices, religiones sapienter interpretando, rempublicam conseruarent. Hinc ius sacrorum pars erat iuris Romanorum publici. Nam *publicum ius*, teste VLPIANO *), *in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit.* Inprimis vero Pontifices isti non legibus tantum ferendis intererant, ita vt nulla in comitiis perlata lex sit, nisi praesentibus hisce, legitimas preces & sacra facientibus [48]), sed praecipue etiam iustitiae procurationem haud a se alienam censebant, quid mirum itaque, si penes eosdem olim iam inde ab antiquissimis Romae temporibus totius iuris, non sacri tantum, sed etiam ciuilis, vti peritiam, ita & curam fuisse custodiamque, inuenimus? Constituebant enim dies [49]), quibus lege licebat agi, quibus nefas censebatur, tabulasque, in quibus dierum haec ratio conscripta erat, qui *Fasti*

*) *L. 1. § 2. D. de Iust. & Iure.*

48) DIONYSIVS *Ant. Rom. Lib. X. p. 659. & 681.*

49) Pontifices id sibi sumsisse videntur propterea, quod curam Kalendarii NVMAE ex instituto habebant, quam apud plerasque fere antiquas gentes Sacerdotes habuisse, probauit DODWELLVS *Praelect. Cambden. Adpend. §. IX. p. 661.*

Fasti dicebantur, occultabant domi, vt dies agendi peterentur ab ipsis [50]); consulentibus de iure etiam ciuili respondebant [51]), litigantibus actiones legis dabant [52]) fastusque an nefastus sit dies i. e. qua vel die vel diei parte ius suum in iudicio persequi, vel aliud negotium ciuile priuatum legitime peragere liceret, docebant [53]), omniumque, ad ius ciuile quae pertinebant, interpretandi scientiam, POMPONIO teste [54]), veluti singulare peculium quoddam sibi adserebant, adeo *vt*, CICERONE auctore [55]), *ad eos de omnibus divinis atque humanis rebus referretur*, eaque de re apud FESTVM [56]) Pontifex Maximus *iudex atque arbiter rerum diuinarum humanarumque haberi* dicatur. Atque id bene

50) CICERO *Orat. pro Murena cap. XI.*

51) CICERO *de Legibus Lib. II. cap. 12.* vid. & TVRNEBVM ad *h l.*

52) *L. 2. §. 6. D. de* o. I. Vide hic *Io. Hieron.* STENGERI diss. *de iure formulario Romanorum s. de legis actionibus ex XII. Tabb. descendentibus. Lips.* 1709.

53) CICERO *ad Attic. Lib. VI. Ep. 1.* cfr *P.* MANVTII libr. *de veterum dierum ratione.* in *I G* CLAVSINGII *Iure publ. Rom. Fasc. II. p. 392 seqq.*

54) *L. 2. §. 6. D. de* o. I.

55) *de Orator. Lib. III. cap. 33.*

56) v. *Ordo Sacerdotum.*

ac ſapienter inſtituerunt Romanorum maiores. Communicabant enim hac ratione cum iure ciuili illam auctoritatem & ſanctitatem, quam in pontificum tanquam ſummo Sacerdotum collegio reuerebantur Romani. Scilicet difficile fuerat, rudibus atque efferatis primorum Romae ciuium animis perſuadere, vtiliſſimas eſſe leges, a regibus latas, nec ſolum publicae, ſed etiam priuatae cuiusque rei ſaluberrimas. Satis quidem validum hoc erat vinculum, ſed quod in leuitate illa, atque animorum rudium inconſtantia non ſatis firmiter haereret. Tenacius erat alterum religionis vinculum, quodque ab antiquiſſimis Romanis propterea lubentius reciperetur, quod vlla adhuc nec ruditas nec immanitas tantum potuit, vt illam religionis ſcintillam, diuinitus omnium animis inditam, penitus exſtingueret. Nec tam grauibus poenis, quales in eiusmodi generis hominibus neceſſariae videbantur, peccata punire poterant Romani, niſi in medio poſita religione. Saeuitia enim intoleranda, omnibusque viribus amouenda fuerat, quae ſub religionis tegumento, vindicta deo debita videbatur. Quid ergo ſapientius, quid initiis reipublicae romanae accommodatius excogitari poterat, quam ſacri iuris cum ciuili

vili coniunctio [57]. Quid? eo ſapientius apud Romanos inſtitutum id fuit, quo vtilius ac ſalubrius reipublicae eſſe debebat, non quoscunque Legum ac iuris eſſe arbitros, ſed ampliſſimos & clariſſimos viros, quaſi ciuilis iuris cuſtodes, in praeclaro iſto iuris atque iuſtitiae quaſi praeſidio locatos eſſe, a quibus ciues, rerum ſuarum incerti, conſiliique inopes, quid aequum & bonum, quid ſibi ſequendum faciendumue, quomodo ſibi cavendum, tamquam ob oraculis peterent [58].

§. XXXII.

Argumentum idem continuatur.

Vt vero nullus plane dubitationi relinquatur locus, duo adhuc, quae proſtant, antiquitatis monumenta producam, quae, penes pontifices olim legum iurisque etiam ciuilis curam fuiſſe atque cuſtodiam, ita euidenter euincunt, vt contra ſi quis dicere velit, non audiatur. Primum eſt locus quidam VALERII MAXIMI [59]), qui, IVS CIVILE

57) Vide omnino *Io. Caſim.* HAPPACHII *comment. de calumnia religioſa & theologia ciuili veterum praeſertim Romanor. Cap III §. 3. p. 36 ſeq.* & *Io.* LVZAC. *Spec. exhib. obſeruat. nonnullas apologetic. pro ICtis Rom. Cap. V. §. 9 ſeqq. p. 95 ſeqq.*

58) Cfr. *I. A.* BACHIVM *in Hiſtor. Iurispr. Rom. Lib. II. Cap. II. Sect. IV. §. 2. p. 220.*

59) *Lib. II. c. 5. exemp. 2.*

VILE *per multa saecula inter sacra, caerimoniasque Deorum immortalium abditum, solisque* PONTIFICIBVS *notum fuisse*, expresse asserit, id quod & alterum confirmat LIVII [60]) testimonium, dum CIVILE IVS *repositum in penetralibus* PONTIFICVM *euulgasse Cn.* FLAVIVM enarrat. Quoniam enim Pontifices, atque patricii eo, quod vnice tunc iurisscientiae praefuerint, eiusque cognitionem habuerint soli, vti DIONYSIVS [61]) refert, magnam penes plebem potentiam obtinerent, hi, vt etiam soli iurisprudentiam, tanquam auitam possessionem sibi retinerent, suamque potentiam magis inde aut stabilirent aut augerent [62]), peruulgari artem suam noluerunt, sed occultum primis temporibus, atque absconditum tenebant omne hoc iuris, tam sacri, quam ciuilis genus, & quasi comprimebant, vt rudis plebecula omnis a se penderet, omnibusque in rebus interessent ipsi

60) *Lib. IX. c. 46.*

61) *Ant. Rom. Lib X. p. 627. lin. 37 seqq.*

62) CICERO de *Orator. Lib. I. c. 41.* Sed *Io.* LVZAC cit. *Specim. academ. Cap. I. §. 21. not. 2.* & *Cap. II. pag. 24.* Pontifices ideo praecipue occultasse suam scientiam putat, quod *iurisscientia partem sacrorum & pontificalis auctoritatis faciebat, sacra autem vulgari non patiebatur religio.*

ipsi [63]). Tunc itaque & legum interpretationes & legis actiones e collegio pontificum tanquam oracula proferebantur, id quod aperte satis indicat POMPONIVS [64]): *Ex his* (legibus XII. tabularum) inquiens, *fluere coepit ius ciuile: ex iisdem legis actiones compositae sunt. Omnium tamen harum* [65]) *& interpretandi scien-*

63) CICERO de *Orator.* l. c. & in *Orat. pro Muren. c. XI.* POMPONIVS in *L.* 2. *§.* 35 *D. de* O. I.

64 *L* 2. *§.* 6. *D. de* O. I.

65) Frustra omnino V. C. *Chr. Frid Im* SCHORCH in *Obs de Prudentibus apud vet Rom.* in *App. Delineat. Histor. Iur. civ p.* 178 seqq. monstrare tentauit, POMPONIVM in verbis hisce prolatis Pontificibus tantum actionum legis scientiam tribuisse, non immerito ideo notatus a Viro eleganti, amicoque meo sincerissimo C. F. ZEPERNICK. in egr. Diatr. *de rerum perpetuo similit. a centumv. iudicatar. auctor* §. VII. not. r. SICCAMAE adiecta *p* 317 seqq. Neque defendi etiam potest, quod ex loco CICERONIS *de Legib. Lib II. c.* 19. non rite intellecto sibi persuaserunt Viri clariss. *Chr. Godofr.* HOFFMANNVS *in Histor. Iur. Rom. Vol. I. Part. I. Lib. I. Per. IV. §. 6. not. d. p.* 208. & *Io. Sal.* BRVNQVELL *Histor. Iur. Rom. P. I. Cap. V. §. 8. p* 57. non omnes nempe legis actiones penes collegium Pontificum fuisse, sed competiisse iis tantum potestatem, actiones dandi respectu negotiorum vel mere sacrorum vel mixtorum i. e. ciuilium quidem, quae tamen cum religione concurrant, & adeo in Pontificum jurisdictionem incidant. Equidem certe in loco CI-

CERO-

ſcientia, & actiones apud collegium Pontificum erant: ex quibus conſtituebatur, quis quoquo anno praeeſſet priuatis: & fere populus annis prope centum hac conſuetudine vſus eſt. Et nunc perſpici etiam ratio poteſt, quid ſit, quod

CERONIS adducto nihil inueni tale, quod ſententiam hanc adiuuet, cum TVLLIVS ibi ſolummodo in eo ſit, vt contra *Q.* SCAEVOLAE, *P.* filii, Pontificis Maximi, ſententiam, qui, *ſaepe ſe ex patre audiuiſſe*, referebat, *Pontificem neminem bonum eſſe, niſi qui ius ciuile cognoſſet*, demonſtret, non totum ius ciuile pontificem cognoſcere oportuiſſe, ſed tantum, quatenus cum religione coniunctum ſit, cum ciuilis iuris ſcientia pontificium quodam modo tollere videantur pontifices. *Itaque ſi Vos*, alloquitur SCAEVOLAS, iuris ciuilis conſultiſſimos, eosque pontifices maximos, (*c. l. c. XXI. init*) *tantummodo pontifices eſſetis, pontificalis maneret auctoritas: ſed quod iidem* IVRIS CIVILIS *eſſetis* PERITISSIMI, hac ſcientia illam eluditis. Si vero aliud eſt, *an totum ius ciuile pontifici fuerit cognoſcendum*, de quo CICERO tantum quaerit & diſputat, aliud, *an pontifices omne ius ciuile legisque actiones re vera ſibi veluti ſingulare peculium quoddam vindicauerint, iurisque ideo quoque ciuilis fuerint peritiſſimi*, id quod ne CICERO quidem in dubium vocat, non intelligo plane, quomodo hoc ex loco elicere voluerunt hi Viri, non omnes legis actiones penes Collegium pontificum fuiſſe, POMPONIO tam clare contrarium aſſerente. Plane ſatis non facit argumentum, quo vſus eſt Vir Celeb. C. *A.* L. B *de* MARTINI *Ord. hiſtor. Iur. Civ. c. IV.* § *24 in not. p. m. 82 ſeq.* ſcribens, POMPONIVM loqui de prima aetate, CICERONEM de recentiori.

quod, teste POMPONIO, vnus tantummodo quotannis e pontificibus constitutus fuerit, *qui priuatis praeesset*, i. e. vt *B.* BRISSONIVS [66]), *G.* EBERLINVS [67]), *G.* COCCEIVS [68]) & V. C. *Io. Aug.* ERNESTI [69]), haec verba interpretati sunt, a quo priuati actionum formulas, deque iure ciuili responsa petere debuissent: non aliam certe ob caussam, quam ne diuersas responsiones diuersi darent pontifices, sicque potentiam, quam his arcanis augere intendebant, deminuerent, vti recte coniecisse mihi videtur Clariss. ZEPERNICK [70]). Sic itaque, credo, corruit argumentum doctissimi RITTERI, exinde petitum, quod PAPIRIVS pontifex fuerit maximus, veritati enim, vt vidimus, consentaneum prorsus non est, ad Pontificem Maximum sacrorum tantum curam legumque solummodo sacrarum pertinuisse, cum potius ex locupletissimis veterum documentis satis monstratum sit, tunc temporis apud Pontifices omnem legum iurisue praecipue etiam ciuilis non solum peritiam, sed etiam

66) *Select. ex iure civ. Antiquit. Lib. I. c. 20. p. 38.*
67) *de Orig. Iur. Civ. cap. XII. n. 14.*
68) *Comment. ad* POMPON. *pag. 69.*
69) *Clav. Cicer. v. praeesse.*
70) *Diatr.* laud. *de Iudicat. Cviral.* §. *VII. p. 317.*

iam curam fuiſſe [71]). Non ſpero, fore quemquam, qui mihi obiiciat, teſtes productos de aetate loqui, PAPIRIO, quid? ipſis XII. Tabularum legibus recentiori; quodſi tamen quis eſſet, in cuius animo dubitatio haec propullularet, is probe ſecum perpendat, quod VALERIVS MAXIMVS ſcribat, ius ciuile *per multa ſaecula* inter ſacra caerimoniasque deorum abditum, ſolisque pontificibus notum fuiſſe; iam cum, POMPONIO teſte, populus Romanus legibus XII. Tab. latis tantum annis prope centum hac conſuetudine adhuc vſus ſit, vt actionum formulas, legumque interpretationes, atque de iure ciuili reſponſa, a Pontificibus, tanquam a Chaldaeis peteret, vsque dum A. V. C. 449. *Cn.* FLAVIVS ſcriba cornicum oculos configeret, haecque Pontificum arcana euulgaret [72]), certe iam per tempus diuturnum ante latas

71) Idem ſentiunt mecum GVTHERIVS *de iure pontif. Lib. I. c.* 2. FORNERIVS *rer. quotid. Lib VI. c.* 2. *Ev.* OTTO *iurispr. ſymbol. Exerc. I. c.* 12. *Ant.* SCHVLTING. *Or. de iurispr. M. T. Ciceronis* (in EI. *comment. acad. Halae* 1772. *Vol. II. p.* 94.) STENGER *de iure formular. Rom. §. V. ſeqq.* aliique.

72) CICERO *pro Muraen. cap. XI.* LIVIVS *IX.* 46. POMPON. *L.* 2. *§.* 7. *D. de* O. I.

latas XII. Tabularum leges in possessione iuris ciuilis solitaria, hocque μονοπώλιο quasi forensi fuerint necesse est. Quid? quod euulgatis quamuis a *Cn.* FLAVIO hisce Pontificum arcanis [73]), iuris ciuilis tamen scientia semper pontificis habebatur ornamentum. Hinc etiam tot egregii ICti inter Pontifices, & quidem maximos, numerantur, iuris ciuilis peritissimi, *Tib.* nempe CORVNCANIVS [74]) SCIPIO NASICA, *P.* LICINIVS CRASSVS *Diues* [75]), vterque MVCIVS *P.* & *Q.* pater & filius [76]) *P.* LICINIVS CRASSVS *Mucianus* [77]), aliique, & tanta erat iuris ciuilis & pontificii cognatio, vt *Q.* SCAEVOLA, *P.* MVCII SCAEVOLAE filius, pontifices ambo maximi, & iidem iuris peritissimi, penes CICERONEM [78]): *Saepe se*

73) Feliciores omnino erant Pontifices in abscondendo *iure pontificio* proprie sic dicto, quod de sacris agebat. Hoc enim adhuc CICERONIS temporibus in pontificum latuisse penetralibus, ex loco quodam in *orat.* EIVS *pro domo c. 54.* constat.

74) Cfr. *Lud. Aug.* WÜRFFEL Ep. *de Tib.* CORVNCANIO. *Hal. 1740. §. 10. pag. 17.*

75) CICERO *de Orator. Lib. III. c. 33.*

76) VELLEI. PATERCVLVS *Lib. II. c. 26.* & VALER. MAXIMVS *Lib. VIII. c. 8. Ex. 2.*

77) GELLIVS *Lib. I. Noct. Att. c. 13.* & CICERO *de Senect. c. 14. in fine.*

78) *de Legibus Lib. II. c. 19.* ad quem locum confer,

ſe ex patre audiuiſſe, referat, *pontificem neminem bonum eſſe, niſi qui ius ciuile cognoſſet.*

Si denique ex eo, quod poſt Reges exactos Conſules primi, de ordinanda republica ſolliciti, humanas TVLLII leges, veteresque conſuetudines reuocarunt in vſum, Vir elegans infert, PAPIRIVM leges quoque ſacras, neglectas antea, deſcribendas denuo prouulgandasque eſſe cenſuiſſe, vt ſic ciuitas imbueretur iure diuino, quam conſules legibus ciuilibus quaſi de nouo fundauerant; vereor ſane, ne, refragante ipſi hiſtoria temporum illorum ipſa, claudicet concluſio; cum neque Conſules primi, vt ipſe fatetur Ill. RITTERVS, omnes leges Regum Romanorum ciuiles quaſi poſtliminio reuocarint, ſed praecipue SERVII TVLLII de contractibus, aliasque plebi gratas, neque PAPIRIVS ſtatim poſt reges exactos omnes leges regum ſacras reſtituerit, ſed ipſo, in quo acquieſcit, DIONYSIO teſte, tabulas tantum illas roboreas, quibus inciſas leges NVMAE ſacras ex eius commentariis in publico propoſuerat ANCVS MARCIVS Rex, quas viderat vetuſtate abſumtas. Non-

fer, ſi placet, quid docte diſputauerit *Io.* LVZAC in *Specim. academ.* ſaepe laudato *cap. V. §. 11 ſeqq pag. 96 ſeqq.*

Nondum igitur exinde conficitur, non attendendam esse POMPONII narrationem, dum omnes postea omnium omnino Regum, quas tulerunt, leges PAPIRIVM composuisse in vnum tradit, idque eo minus, quo luculentius ex iis, quae supra hanc in rem in medium attuli, constet, DIONYSIVM de nostro *Iure Papiriano* non loqui. Habes alterum RITTERI argumentum, nunc cognoscamus de tertio, quod, cuius sit indolis, sequens ipsis eius verbis docebit §phus.

§. XXXIII.

Tertium RITTERI *argumentum expenditur, exinde deductum, quod* GRANIVS FLACCVS *librum scripserit* de indigitamentis, *in quo* IVS CIVILE PAPIRIANVM *commentariis illustrasse, putat.*

Ea deinde, inquit, *quae de* GRANIO FLACCO *obseruarunt viri docti, manifestum praebent testimonium,* IVS PAPIRIANVM *esse Pontificium, siue diuinum. Scripsit hic auctor librum ad* CAESAREM de indigitamentis. *Sed indigitamenta sunt* ἱερατικὰ βιβλία. *Haec vero Ius Sacrum continent, docente* DIONYSIO init. Lib. X. *Queruntur enim ibidem Tribuni plebis, in vrbe omnia patricios posse, solos praeesse iudiciis, multa ex arbitrio agere,*

re, cum plurima legibus non essent definita, κομιδῆ δὲ ὀλίγα τινὰ ἐν ἱεραῖς ἦν βίβλοις ἀποκείμενα, ἃ νόμων εἶχε δυνάμιν, *& perpauca in* SACRIS LIBRIS *haberentur, quae legum vim obtinerent. Quo loco* SACRI LIBRI *iidem sunt cum* IVRE PAPIRIANO, *quod, licet de sacris, votis, sepulcris, pluribusque rebus aliis, quae sine religione peragi non poterant, disponeret, solum tamen Romanis, leges ciuiles proprie sic dictas efflagitantibus, satisfacere nullo modo potuit.* Putat itaque RITTERVS, vt recte eum intelligamus, GRANIVM illum FLACCVM in libro suo, quem *de Indigitamentis* inscripsit, IVS PAPIRIANVM commentariis suis illustrasse, & cum *Indigitamenta* fuerint libri sacri, ipsum IVS PAPIRIANVM sacrum ius continuisse, concludit. Haec, si quid video, vera huius argumenti mens est. Prius autem, quam vt gradum vlterius promoueamus, lubet hic nonnulla de GRANII illo *de indigitamentis* libro, quum de eo saepius recurret mentio, strictim attingere, vt, an nostram sententiam, POMPONII auctoritate suffultam, infirmet, eo rectius iudicare possimus. Meminit huius CENSORINVS in suo *de die natali* libello 79), *eundem esse Genium & Larem,* scribens, *multi Vete-*

79) *Cap. 3. p. 13. edit.* LINDENBROG. *Cantabrig. 1695.*

Veteres memoriae prodiderunt: in queis etiam GRANIVS FLACCVS *in libro, quem ad Caesarem* de indigitamentis *scriptum reliquit.* Sed quaenam ſunt *indigitamenta?* *Indigetare* eſt ὀνομάζειν, *precari, inuocare,* id quod locus quidam MACROBII [80]) confirmat, vbi ita legitur: *namque virgines Veſtales ita indigitant:* APOLLO MEDICE: APOLLO PAEAN. Sunt itaque *indigitamenta*, vt recte vidit *Greg.* MAIANSIVS [81]), *Deorum inuocationes.* Pontificum nempe fuit proprium, Deos indigetare ſtatis ſacrificiis, hoc eſt, nomen eorum proprium deſignare, eosque precari [82]). Inde *Indigetes* erant Dii patrii, tutelares, ἡμίθεοι κουρῆτες [83]) qui ex hominibus ἀποθέωσιν conſequuti in Diis agebant [84]). Sic VIRGILIVS [85]):

Dii Patrii indigetes, & Romule, Veſtaque Mater.

& SIL. ITALICVS [86]):

 Hinc

80) *Saturnal. Lib. I. cap. 17. p. m. 238.*
81) *Comm. ad trig. ICtor. Fragm. T. II. §. VI. p. 131.*
82) SERVIVS *ad* VIRG. *XII. Aeneid. v. Indigetem Aeneam* etc.
83) Sic *Gloſſarium vet.* teſtante SCALIGERO.
84) ROSINVS *Antiquit. Rom. Corpore Lib. II. c. 17.* & *Thom.* DEMPSTERVS *in paralipom. ad h. c. p.* 232. (ed. *Genev.* 1640.)
85) *Lib. I. Georgic. in fine.*
86) *Lib. IX. Punicor.*

Hinc Vesta, & captae stimulatus caede Sagunti,
Amphitryoniades, pariter veneranda Cybelle,
Indigetesque dei, Faunusque, Satorque Quirinus:
Alternusque animae mutato Castore Pollux.

Talis etiam *Tyberinus* Capeti filius memoratur, qui cum in flumen Tyberim cecidisset, eique dedisset nomen, a Pontificibus indigetari solebat [87]. *Indigetes* tamen Deos putat FESTVS [88], quorum nomina vulgari non liceret: & recte putat, nec enim efferebantur eorum nomina in vulgus, in quorum tutela vrbs Roma esse credebatur, ne ab hostibus possent euocari [89]. Horum Deorum nomina scripta habebant in libris Pontifices, quae etiam *indigitamenta* dicebantur, & in *vett. Glossis* ἱερατικὰ βιβλία [90]), quae itaque libri rituales Pontificum erant, qui & nomina Deorum, & rationem inuocandi eos continе-

87) SERVIVS *ad* VIRGIL. *VIII. Aeneid.*

88) In verb. *Indigetes.*

89) LIVIVS *l. c. 2. fin.* conf. *Iac.* GVTHERIVS *de vet. iure Pontificio. Lib. I. c. 20. Th.* GRAEV. *T. V. col.* 40.

90) Vid. *Lexicon latino graec. vet. Glossarii* nomine inscriptum v. *Indigitamenta,* ἱερατικὰ βιβλία.

tinebant [91]). Ex hoc igitur colligere certa ratione licet, quid continuerit ille GRANII *de indigitamentis* liber. Instruit nempe FLACCVS in eo Pontificum circa Deorum inuocationes officium, nominaque Deorum, atque ipsorum Numinum rationem exponit, in vsum forsitan CAESARIS, ad quem scripsit, qui iuuenis admodum A. V. C. DCLXXX. in COTTAE consularis locum Pontifex factus [92]), & aliquot post annos sub exitum Consulatus *M.* TVLLII CICERONIS A. V. C. DCXCI. METELLO PIO tunc mortuo, tribuum suffragiis Pontifex Maximus creatus erat [93]). Obseruauit *Lud.* CARRIO [94]), ex eo

91) SERVIVS *ad* VIRGIL. *Georg. II.* 21. cfr. quoque SALMASIVS *ad* SOLINVM *p.* 51. VOSSIVS *Etymolog. ling. lat.* v. *Indigitamenta. p.* 265. ed. *Amstel.* 1662. & *de idololatria Lib. I. c.* 12. *p.* 33 *Tom. V. Opp.* FABER *Thes. erudit. scholast.* v. *Indiges.* OISELIVS *ad* GELLIVM *p.* 611. & *Pet. Paul.* IVSTI *Specim. Obseruat. criticar. c. XI. p.* 33.

92) VELLEIVS PATERCVLVS *Lib. II. c.* 43. *init.* Vide hic *Petr.* WESSELING *Obseruat. variar. Lib. II. c.* 18 *pag.* 224

93) SVETONIVS in *Iul. Caesare c.* 13. DIO CASSIVS *Lib. XXXVII. ad A. V. C.* 691. *p.* 46. VELLEI. PATERCVLVS *Lib. II. c.* 43 inprimis vero euoluas velim *Io. Andr.* BOSIVM in *Exercit. hist. altera de Pontificatu Maximo Impp. Rom. praecipue Christianor. c. I. §. I-V.* in *Thes. Antiquit. Rom.* GRAEV. *Tom. V. col.* 271 seqq.

94) *Emendationum & Obseruationum ad Cl.* PVTEANVM

eo libro esse pleraque omnia, quae afferuntur ab ARNOBIO: quando nempe e. gr. *libro tertio* scribit: *Aristoteles, vt* GRANIVS *memorat, vir ingenio praepotens, atque in doctrina praecipuus* MINERVAM *esse Lunam probabilibus argumentis explicat, & litterata auctoritate demonstrat*, & infra: *Nouensiles* PISO *deos esse credidit nouem in Sabinis apud Trebiam constitutos: hos* GRANIVS *Musas putat, consensum accommodans Aelio.* &: *Si enim* PISONIS *sententia vera est:* AELIVS *&* GRANIVS *mentiuntur; si quod dicitur ab his certum est: peritissimus errat* VARRO.

Hoc igitur in libro GRANIVM *Ius Papirianum* commentariis suis illustrasse, RITTERVS putat; verum nescio omnino, anne id πρώτῳ ψεύδει in animum induxerit suum Vir doctus; vt enim nihil dicam, quod modo demonstraui, GRANIVM in libro saepe dicto Pontificum tantum circa *indigitamenta* officia exposuisse, quae ipsi, Pontifici sine dubio, bene cognita erant atque perspecta; ICtus etiam PAVLVS *in libro X. ad Legem Iul. & Papiam*, ex quo desumta est *L. CXLIV. D. de*

NVM *Lib. I. cap. IV. pag. 97.* in *Tom. III. Lampadis, siue Facis artium liberal. h. e. Thesauri Critici*, quem *Ian.* GRVTERVS *Francofurt. MDCIV.* foras prodire iussit.

D. de Verb. Signif. libri cuiusdam GRANII FLACCI *de iure Papiriano* mentionem fecit his verbis: GRANIVS FLACCVS *in libro de iure Papiriano ſcribit, pellicem nunc vulgo vocari, quae cum eo, cui vxor ſit, corpus miſceat: quosdam* 95) *eam, quae vxoris loco ſine nuptiis in domo ſit, quam* παλλακην *Graeci vocant* 96). Meminit & huius *de Papiriano iure* libri MACROBIVS 97). *In Papiriano enim jure*, inquiens, *euidenter relatum eſt, arae vicem praeſtare poſſe menſam dicatam.* In hoc potius GRANIVM leges regias *Iuris Papiriani* ſuis commentariis illuſtraſſe, eo firmius

95) loco τȣ *quosdam Herm.* CANNEGIETERVS in diſſ. *ad Legem* NVMAE POMP. de *ara Iunonis pellici non tangenda Cap. IV.* ſcribi mauult *quondam*, alias quoque *s.* & *n.* commutari exemplis edoctus. Sic quoque *nos* & *non* haud raro in legibus confundi *Ant.* AVGVSTINVS *Emendat. Lib. I. c.* 2. obſeruauit.

96) L. 144. *D. de V. S.* egregie illuſtrauit Gr. MAIANSIVS in *Comm. ad trig. ICtor. omnia fragm. quae extant in iuris civ. corpore. Tom. II. p.* 132.

97) *Saturnal. Lib. III. c. 11. p.* 322. hunc locum a MACROBIO allatum non ex ipſa *collectione Papiriana*, ſed potius ex GRANII FLACCI *commentariis de iure Papiriano* fuiſſe depromptum, egregie docuit *Petr.* WESSELING *Obſeruat. variar. Lib I. c. 4. p.* 11 ſeqq. Ex quo infra delibandi quaedam contra *Ant.* TERRASSONVM, alia omnia cenſentem, commodior erit locus.

mius cum *Iac.* RAEVARDO [98]) perſuaſum mihi habeo, quo minus dubium eſt, ea, quae GRANIVS de pellice in lege *144. D. de* V. S. notaſſe dicitur, ſcripta videri in illam NVMAE legem, quam *A.* GELLIVS [99]) & alius, quem, quo nomine dicam, dubito, vulgo *S.* POMPEIVS FESTVS eſſe creditur [100]), ſic nobis exhibent: *Pellex aram Iunonis ne tangito, ſi tanget, Iunoni crinibus demiſſis agnum feminam caedito* [1]). Vnde enim probabitur, hunc GRANII *de jure Papiriano* librum eundem fuiſſe, quem *de indigitamentis* exarauit ad Caeſarem? dudum de hac re iam dubitarunt *Lud.* CARRIO [2]) & Vir Elegantiſſimus *Petrus* WESSELING [3]). Iam quamuis equidem non diffitear, GRANIVM in ſuo *de Iure Papiriano* libro expoſuiſſe ius regium ſacrum [4]), tamen

98) *de auctoritate Prudentum* cap. I. pag. 7. edit. *Henr.* HAHNII. *Helmſt. 1660.*
99) *Noct. Attic. Lib. IV. cap. 3.*
100) in v. *pellices.*
1) Legem hanc NVMAE eleganti commentario illuſtrauit *Herm.* CANNEGIETER in diſſ. *ad Legem* NVMAE POMPILII *de ara Iunonis pellici non tangenda. Lugd. Batav. 1743.* in *Dan.* FELLENBERGII *jurisprudentia antiqua Tom. I. p. 331.*
2) *Emendation. & Obſeruation. c. l. p. 97.*
3) *Obſeruation. variar. Lib. I. cap. 4. p. 13.*
4) Vt ex Fragmentis patet, quae ex Commentariis GRANII habemus hodie, de quibus infra quaedam.

tamen ne ſic quidem perſpicio, quomodo argumentum duci exinde poſſit, *Ius Ciuile Papirianum* fuiſſe Pontificium ſiue diuinum: Quid enim, potuitne GRANIVS ille FLACCVS non niſi ad eas *Iuris Papiriani* commentari leges, quae de ſacris rebus agebant? Equidem ſaltim id crederem ideo, quia veroſimillimum profecto videtur, GRANII aetate hanc tantum *Iuris Papiriani* partem fuiſſe adhuc in vſu, quae de ſacris agebat. Sacra enim, vt a ROMVLO, NVMA, caeteriſque Regibus inſtituta fuerunt, ad ſera vsque Reip. tempora ſeruata fuiſſe, facillime poteſt demonſtrari [5]. Apud Romanos nimirum arctiſſimo inter ſe vinculo religio & res ciuiles iunctae erant. Omnem Rempublicam ſuam deorum nutu atque poteſtate adminiſtrari illi credebant, vel certe credere videri cupiebant [6]: & hinc nihil rite ipſi, nihilque prouidenter ſe, neque publice neque priuatim, ſine deorum ope, conſilio, hono-

5) Non ſine fructu euolui hic poterunt *Io.* LVZAC *Obſeruat. Apologet. pro ICtis Rom. Cap. I. §. XI* & *Corn. van* BYNCKERSHOECK opuſc. *de cultu religionis peregrinae apud Vet. Rom.* quod extat in EI. *Opuſc. cum praef.* F. C. CONRADI. *Hal.* 1729. editis. *Tom. II. pag.* 177.

6) CICERO *Orat. Catilin. III.* 9. *princ.*

honore auſpicari putabant [7]). Erant quidem, qui animo haec ſpernerent, quod religiones omnes ad rationes politicas artificioſe compoſitas, frenumque quaſi caecae & temerariae multitudinis eſſe, probe intelligebant; ſed ii ipſi, quo prudentiores erant, eo diligentius diſſimulare ſenſum ſuum, & obtegere ſtudebant. Ius enim ſacrorum pars erat iuris Romanorum publici, vt ſupra vidimus [8]). Hinc CICERO [9]), Maiores ideo Pontifices & religionibus deorum, & ſummae reipublicae praeeſſe voluiſſe ait, vt ampliſſimi ciues rempublicam bene gerendo, Pontifices, religiones ſapienter interpretando rempublicam conſeruarent. Religionum igitur conſeruatione reipublicae ſalus atque incolumitas niti putabatur, quod omnis religio tam artificioſe ad ciuiles rationes conſtructa erat [10]), vt reipublicae quaſi fulcrum dici poſſet, quo concuſſo neceſſe erat, ipſam rempublicam labefactari. Inde etiam, qui deos religionesque publicas ſpernere aut violare auderent,

7) PLINIVS *Panegyr. pr.* VALER. MAX. *I. 1.*

8) Confer, quae ſupra *§. XXXI. p. 184.* hanc in rem protuli.

9) *Orat. pro domo princ.*

10) vti egregie monſtrauit Cl. *Io. Caſim.* HAPPACH in Comm. *de calumnia religioſa & Theologia civ. Vet. praeſertim Rom.*

rent, numina deorum, a quorum nutu ciuitatis ſalus pendere credebatur, reipublicae irata reddere, adeoque publici hoſtes eſſe putabantur, omniumque, quae auerſa numina ciuitati immitterent, malorum cauſae [11]). Hinc *odium illud humani generis* [12]), cuius TACITVS [13]) meminit, Chriſtianis olim a Quiritibus obiectum, quia Romanas religiones non ſolum ſpernebant, ſed ſacra eorum

11) Lege hic, quae affert CAECILIVS apud MINVC. FELIC. *in Octav.* c. VII. & CICERON. in Orat. *poſt redit. ad Quirit Cap. 8.*

12) Vide hic omnino Virum doctiſſimum *Io. Frid.* GRVNERVM μακαρίτην in diſſ. *de odio humani generis Chriſtianis olim a Romanis obiecto. Coburg.* 1755. praecipue *Diſſ II Sect. II. §.* 2 ſeqq. *p.* 45.

13) *Annal. Lib. XV. c.* 44. *n.* 4. quem locum, vt apponamus ipſum, operae pretium eſt: *Ergo abolendo*, ſcribit, *rumori* NERO *ſubdidit reos*, & *quaeſitiſſimis poenis affecit, quos per flagitia inuiſos, vulgus* Chriſtianos *appellabat. Auctor nominis eius* CHRISTVS, *qui*, TIBERIO *imperitante, per procuratorem* PONTIVM PILATVM *ſupplicio affectus erat. Repreſſaque in praeſens exitiabilis ſuperſtitio rurſus erumpebat, non modo per Iudaeam originem eius mali, ſed per vrbem etiam, quo cuncta vndique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam* ODIO HVMANI GENERIS *conuicti ſunt.* Quo in loco itaque *odium humani generis* non niſi hoſtilem in Romanos & eorum Rempublicam animum denotare B. GRVNERVS c. l. *Diſſ. I. §.* 10. & *11.* egregie probauit.

eorum etiam impugnabant. Hinc tot Christianis malorum tempestates ortae, quas omnes in eos sub praetextu, hostes publicos ferendos non esse, Romani excitarunt. Immo vero & ii iamiam ciuitatis statum conuellere omnino putabantur, & nouis rebus studere, qui aut alios deos, aut alio, quam Romano more, colerent. Itaque antiquissima Romae lex: *Separatim nemo habessit deos, neue nouos; sed ne aduenas, nisi publice adscitos, priuatim colunto* [14])? Hinc quoque *apud* LIVIVM [15]) *Aedilibus* negotium datum est, *vt animaduerterent, ne qui, nisi Romani dii, neu quo alio more, quam patrio colerentur.* In prouinciis etiam publicam religionem minime turbari, & sacris Romanis honorem suum seruari, reipublicae Romanae plurimum intererat. Hinc deuictarum gentium religiones quantum, consilio reipublicae suae valde salutari, sensim immutauerint Romani, suisque sacris accommodauerint, incredibile dictu est. Callide iis gentibus persuaserant, suos deos ab illorum numinibus non alia re differre, nisi nominibus tantum; sicque

14) CICERO *de Legg. II. 8.* & *10. n 25.* Finxit quidem has leges ibi memoratas CICERO, sed finxit, si non ex iure, certe ex more Maiorum, vt ipse dixit d. *Lib. II. c. 10. init.*

15) *Lib. IV. c. 20.*

que ipſa prouincialium ſacra per Ius Pontificium Romanum pedetentim temperauerant, vt religione etiam animos deuictarum gentium ſibi deuincirent [16]). Omnia haec docent, quam religioſi fuerint Romani in domeſticis ſacris retinendis, quantoque ſtudio prouiderint, ne caerimoniis externis quaſi inquinarentur [17]). Quin & CICERO, quamvis, vtpote vir multiiugis ſapientiae praeceptis inſtructiſſimus, priſca illa auguriorum & auſpiciorum deliria, ac nugas ſubinde irriſit [18]); immo totam, quae vulgo obtinebat, religionem figmentis & ineptiis ſcatere, facillimo negotio perſpexit [19]): ſapientis tamen eſſe duxit, maiorum in hiſce inſtituta tueri, & ſacra caerimoniasque antiquitus proditas conſtanter retinere ac defendere [20]).

Nec

16) Confer. hic Perill. *a* MOSHEIM *Inſtit. Hiſtor. Chriſtian. Maior. Saec. I. P. I. Cap. I. §. 18.*

17) GRAEVIVS *praef. Tom. V. Theſ. Antiquit. Rom.* praemiſſa *p. 2. in fine & 3.*

18) *De diuinat. Lib. II. c. 33. & ſeqq.*

19) *Libris de natura deor.* Vid. LACTANTIVS *Inſtitution. diuin. Lib. II. c. 3.*

20) *De diuinat. Lib. II. cap. vlt.* vbi ita: *Nec vero (id enim diligenter intelligi volo) ſuperſtitione tollenda religio tollitur. Nam &, maiorum inſtituta tueri ſacris caeremoniisque retinendis, ſapientis eſt.* Et ſupra *c. 33. Errabat quidem*, inquit, *multis in rebus antiquitas: retinetur autem & ad opinionem vulgi,*

Nec aliam *Q.* MVCII SCAEVOLAE pontificis, TERENTIIque VARRONIS ſententiam fuisſe, accepimus [21]). Cuiquamne itaque probabile fiet, Sacra, vti a Regibus inſtituta fuerunt, GRANII adhuc FLACCI temporibus fuiſſe ſeruata? Quodſi itaque etiam GRANIVS in ſuo *de iure Papiriano* libro leges Regum ſacras, vti probabile omnino videtur, commentariis ſuis illuſtraſſet, quis dubitaret, hoc ideo factum eſſe, quod ſua aetate haec tantum *Iuris Ciuilis Papiriani pars* vim legis adhuc obtinuit, quae de ſacris agebat? quas enim leges Regum ciuiles per iurisprudentiam mediam *) expertae ſint viciſſitudines, nemo poteſt ignorare, niſi alieniſſimus ab omni humanitate. Nunquam vero imperare mihi potero, vt ideo *Ius Papirianum* ſacrum fuiſſe, ſtatuam.

§. XXXIV.

vulgi, & ad magnas vtilitates reipublicae mos, religio, diſciplina, ius augurium, collegii auctoritas. Nec vero non omni ſupplicio digni P. CLAVDIVS, L. IVNIVS, *conſules, qui contra auſpicia nauigarunt. Parendum enim fuit religioni, nec patrius mos tam contumaciter repudiandus. Iure igitur alter populi iudicio damnatus eſt: alter mortem ſibi ipſe conſciuit.*

21) AVGVSTINVS *de ciuitat. Dei. Lib. V. cap.* 27. & 31.

*) Ex mente IVSTINIANI *§.* 3. *I. de legit. agnat. ſucceſſ.*

§. XXXIV.

Continuatur, atque sacros *illos* libros *penes* DIONYSIVM *in loco a* RITTERO *excitato* IVS *nostrum* CIVILE PAPIRIANVM *non esse, demonstratur.*

Si tandem Doctissimus noster Aduersarius *sacros* illos *libros* penes DIONYSIVM, quorum mentionem fecit Graecus iste in loco supra memorato [22]), eosdem facit cum nostro *iure ciuili Papiriano*, variae magni momenti mihi sunt rationes, quae, quominus huic explicationi nomen dare possim, omnino faciunt. Si enim *primum* SACRI hi LIBRI, in quibus, VT DIONYSIVS, narrat, perpauca tantum tunc temporis fuerint, quae legum vim haberent, iidem cum *iure* nostro *Papiriano* essent, quomodo quaeso *Papiriana* nostra collectio, POMPONIO teste, appellari potuisset *ius ciuile Papirianum*? At enim vero, respondes, hac tua obiectione nihil efficitur, *cum & ius sacrum, in ciuitatem receptum, recte Ius Ciuile appelletur, vel* IVSTINIANO *docente Instit. de Iure Natur. Gent. & Civ. §.1.* Sed & hac quidem responsione Tua, mi RITTER! argumentum hoc meum nunquam labefactabis. Docuit omnino IVSTINIANVS tuus: IVS CIVILE, qua-

O tenus

22) *Lib. X. init. p. 627.*

tenus a iure gentium diſtinguitur, vocari *ius, quod quisque populus ipſe ſibi conſtituit, quaſi ius proprium ipſius ciuitatis*, atque ſicut ius quidem ciuile ex vnaquaque ciuitate appelletur, ita & *ius, quo populus Romanus vtitur*, IVS CIVILE ROMANORVM appellari [23]). Fuit itaque omnino *Ius Sacrum*, quo populus Romanus vtebatur, in hoc ſignificatu *ius* quoddam *ciuile.* Fuit ſpecies ſ. pars iuris Romanorum ciuilis: verumtamen, an etiam *ius ſacrum* qua tale, quatenus iuri ciuili proprie ita dicto opponitur, tamquam ad profana & humana negotia pertinenti, a Romanis vnquam *Ius Ciuile* appellatum fuerit, id eſt, quod quaeritur; cuius quidem probationem debuit RITTERVS. Ego vero hac de re eo magis dubito, cum perpendo, quanto ſemper ſtudio, quantaque cura Romani veteres ſingulas iuris ſpecies, quando ſigillatim de iis loquuti ſunt, propriis ſuis diſtinxerint appellationibus [24]), & quaero exemplum, quod

23) *§. 2. I. de I. N. G. & C.*

24) Sic CICERO *de Legib. Lib. II. c.* 19. 20. & 21. plus ſemel ius *ſacrum* & *pontificium* a *iure ciuili* ſingulis ſuis appellationibus accuratiſſime diſtinguit, cui, cum ICtus fuerit ipſe, vt egregie docuit *A.* SCHVLTING in Orat. *de iurisprudentia M. T.* CICERONIS, omnis auctoritas concilianda. Inde & *Iurisprudentia* ex mente veterum ICtorum

quod vnquam *ius ſacrum* a ſummo, cuius ſpecies erat, non proxima, ſed remotior, erat enim, VLPIANO [25]) teſte, propriepars iuris Quiritium publici, *iuris ciuilis* nomine fuerit inſignitum, equidem ſaltim inuenire hucusque potui nullum. Ecquis igitur perſuaderet ſibi, collectionem *Papirianam*, ſi praeter leges Regum ſacras comprehendiſſet omnino nullas, generali *Iuris Ciuilis* nomine fuiſſe appellatam? mihi quidem id aeque abſonum fuiſſe videretur, ac ſi quis *de hominibus* ſcripturus, libellum ſuum inſcribere vellet a ſummo eorum genere *de animalibus*, quorum ſpecies ſunt praeſtantiſſima. Quum potius ex regula Hermeneuticorum ſine ſum-

rum eſt *diuinarum atque humanarum rerum notitia, iuſti atque iniuſti ſcientia* L. 10. §. 2. D. de Iuſt. & Iure: in qua ſemper mihi eorum placuit ſententia, qui *res diuinas* de iure ſacro, inprimis pontificio, *humanas* de iure ciuili, proprie ita dicto, accipiendas putant, quidquid dicat *Dom. Brich.* COLVMBVS in diſſ. *de Iuſtitia & Iure.* Lipſ. 1739, *Sect. II.* §. 23. adeo vt ſenſus huius definitionis ſit: *Iurisprudentiam eſſe ſcientiam iurium diuinorum & humanorum.* Vide *A. F.* SCHOTT *Specim. iuris Dig. ad Tit. de Iuſtitia & Iure Lipſ.* 1775. §. 2. & poſt alios inprimis *Io. Gottl.* HEINECCIVM in Praef. *de iurisprudentia diuinarum rerum & humanarum ſcientia*, praemiſſa EIVS Faſcic. *Scriptor. Iur. Naut.*

25) L. 1. §. 2. D. de Iuſt. & Iure.

ma neceſſitate a ſenſu proprio verbi recedendum non ſit, *ius* autem *ciuile* proprie ius, quo populus Romanus vtebatur, appellatum ſit, certiſſime opinionem hanc meam, *Ius Ciuile Papirianum* comprehendiſſe omne Romanorum ius, a Regibus conſtitutum, tam ſacrum, quam ciuile proprie ſic dictum, eradicari mihi non patiar, quamdiu quis non meliora protulerit, atque id eo minus, quo certius eſt, Prudentes Romanorum veteres proprie loquendi genus tanto ſemper ſequutos eſſe ſtudio, vt *ſummus eorum labor circa verborum proprietatem* a QVINCTILIANO [26]) commemoretur. Accedit deinde & hoc, quominus ſub ἱεραῖς βίβλοις *Ius* noſtrum *Ciuile Papirianum* a DIONYSIO intellectum credere poſſim, quia hoc *Ius* a POMPONIO plus ſemel *liber* tantum appelletur: *quae omnes*, enim inquit, (nempe leges regiae) *conſcriptae extant* IN LIBRO *Sexti* PAPIRII — porro IS LIBER, pergit, *vt diximus*, *appellatur* IVS CIVILE PAPIRIANVM. Sed quales ſunt igitur *ſacri* hi *libri*, quorum mentionem ibi fecit DIONYSIVS. Ego quidem *Commentarios Pontificum* intelligendos puto, in quos reſponſa & decreta ſua tum ad religionem tum iu-

ra

26) *Lib. V. c. 4.*

ra ciuium pertinentia referebant. Obſeruavit nempe eleganter *I. A.* BACHIVS [27]), cui hac quidem in re ſubſcribere nullus dubito, *ius* Romanorum *ſacrum*, maxima ex parte Pontificum decretis atque ſententiis conſtitutum atque fundatum eſſe. Leges enim de rebus ſacris paucae: Pontificum, qui de eo genere iudices erant ſoli, auctoritas de religionibus ac iure ſacro magna, ac denique ſumma in retinendis reſponſis ac decretis ſuis conſtantia erat. Quare diligenter omnia reſponſa ac decreta ſua in *Commentarios* referebant Pontifices: quorum conficiendorum cura ſine dubio fuit penes Pontificem Maximum [28]). Inde intelligi CICERO [29]) poteſt, dum ait, *ex Pontificum commentariis patere, Ti.* CORVNCANIVM *longe plurimum ingenio valuiſſe.* Recte etiam animaduertit idem BACHIVS [30]), in iis etiam Leges ac iura ci-

 vilia

27) *Hiſtor. Iurispr. Rom. Lib. II. Cap. II. Sect. IV. §. 54. pag. 257.* adde I. GVTHERIVM *de vet. Iure Pontific. Lib. I. c. 3.* in *Theſ.* GRAEV. *T. V. col. 8. fin.*

28) id quod & inde arguitur, quod idem teſte CICERONE *de Orat. II. 12.* Annales Maximos conficiebat.

29) *in Bruto cap. 14.* GELLIVS *Lib. IV. c. 6.*

30) *c. l. §. 54. not. r.* videat. SENECA *Lib. XIX. Epiſt. 109. p. 275. (ed. Gothofred. Baſil. 1590.)* & CICERO *de diuinat. II. 18.*

vilia fuiſſe perſcripta, id quod & ideo veri magna ſimilitudine commendare ſe videtur, quia apud ſolos Patricios atque Pontifices olim omnis legum iurisque ciuilis peritia erat. Inde paſſim etiam *Pontificum libri* iunguntur cum XII. Tabulis, vt partem iuris ciuilis facientes [31]). Quid quaeſo itaque vero propius accedit, quam hos *Pontificum commentarios* a DIONYSIO noſtro ſub ἱεραῖς βίβλοις intelligi? cui coniecturae maius adhuc robur accedit, quando verba mox ſubſequentia intuemur, quae ſic ſe habent: ὧν οἱ πατρίκιοι τὴν γνῶσιν εἶχον μόνοι, διὰ τὰς ἐν αὐτῇ διατριβάς. i. e. *horum autem ipſorum* (nempe eorum, quae in ſacris his libris continebantur) *ſcientia penes ſolos erat patricios, quod hi ſoli in eius cognitione verſarentur.* Haec verba ſi de *Pontificum commentariis* explicas, cohaerebunt egregie, cum conſtet, Pontifices commentarios hosce diligenter occultaſſe, ſuisque in penetralibus ſollicite aſſeruaſſe [32]), vt nihil plebeii, ſine auxilio ipſorum, poſſent efficere: male autem, ſi ſub ἱεραῖς βίβλοις *ius ciuile Papirianum* intelligas, per quod leges regiae

31) E. gr. apud CICERONEM *de Orator. I. 43.* confer hic, quae contra TVRNEBVM protulit *Io.* LVZAC *Obſ. apolog. pro ICt. Rom. C. V. ſ. XV. not. 1. pag. 100.*

32) LIVIVS *Lib. IV. c. 3.* & *Lib. VI. c. 1.*

giae *in publicum vſum* ſunt reuocatae, quarum itaque ſcientia peruenire non tantum ad omnes poterat, ſed procul dubio etiam penes populum fuit, in cuius quippe vſum aeque ac Magiſtratuum adornatam a PAPIRIO fuiſſe hanc collectionem, ſupra demonſtrauimus.

§. XXXV.

Argumentum RITTERI *vltimum a Fragmentis deſumtum, quae de* GRANII FLACCI *commentariis ſuperſunt, eneruatur.*

Denique, inſtat adhuc RITTERVS, *quae ex Commentariis* GRANII *habemus hodie, tanquam ex naufragio reliqua, meam confirmant ſententiam. Ita enim legimus apud* MACROBIVM *Saturn. Lib. III. c. 11.* In Papiriano iure euidenter relatum eſt, arae vicem praeſtare poſſe menſam dicatam. etc. *Et L. 144. D. de V. S, haec extant:* GRANIVS FLACCVS in libro de iure Papiriano ſcribit, pellicem nunc vulgo vocari, quae cum eo, cui vxor ſit, corpus miſceat. *Quibus verbis illuſtrare voluit is auctor legem Numae,* Ne pellex Iunonis aram tangeret, *quam ex Commentariis Regis,* PAPIRIVS, *deſcriptam, rectiſſime Pontificio iuri inſeruit, quoniam nuptiarum matrimoniique religionem, cuius erant cuſtodes*

Pontifices, ſtabiliuit. FESTVS *tandem voc.* ricae, *hoc ſcriptum reliquit:* GRANIVS quidem ait, eſſe muliebre cingulum capitis, quo pro vitta Flaminica redimiatur. *Sed quis non videt,* GRANIVM *quoque haec ad illuſtrationem Iuris Deorum Manium ſcripſiſſe. Sunt enim notiſſima illa,* Tribus riciniis, *etc. quae ex Pontificio iure in tabulam X. relata eſſe, inter omnes conſtat. Patet igitur,* concludit RITTERVS, *ſi quid ego intelligo, & ex teſtimonio* DIONYSII, *& ex commentariis* GRANII *ad jus Papirianum, & ex ipſa temporis ratione, ius Papirianum, quod Pomponii fragmentum memorat, Pontificium fuiſſe.* Sed neque id vltimum me fulmen perterret. Quod enim fragmenta de ſacris agant, ex FLACCI commentariis ad *Ius Papirianum* reliqua, id magnam tantum veri parit ſimilitudinem, GRANIVM non niſi ſacras Regum leges illuſtraſſe; quod quidem, neque is ego ſum, qui velit in dubium vocare; verumtamen, qui inde concludunt, ipſum *Ius Papirianum*, quod POMPONII fragmentum memorat, Pontificium fuiſſe, cribro eos aquam haurire, ſatis, credo, ſuperque docui.

Sufficiant haec ad confodiendas RITTERI rationes, elegantes quidem illas, ſed parum

parum firmas, ad id probandum, quod voluit.

§. XXXVI.

Rursus alii obiectioni obuiam itur a Gregorio MAIANSIO *oppositae.*

Tandem remouenda est adhuc quaedam obiectio, a Viro summo *Greg.* MAIANSIO [33]) sententiae, quam nos defendimus, opposita. *Memorat*, inquit Ille, DIONYSIVS [34]), *Tarquinium leges a* TVLLIO *scriptas, quae ius aequum faciebant vtrique ordini, nec sinebant a patriciis, vt ante, plebeios circumueniri in contractibus, omnes sustulisse. Quis igitur credet,* PAPIRIVM *leges regias ad contractus & iudicia pertinentes collegisse sub tyranno, qui arbitrio suo omnia agere volebat?* Sed si haec Doctissimi MAIANSII procederet conclusio, etiam sic argumentari possem: memorat DIONYSIVS [35]) TARQVINIVM sacrificia, quae tam in vrbe, quam in agris communi coetu ab vrbanis, & paganis fieri solebant, vno edicto in posterum vetuisse, quae eo demum exacto rursus ea diligentia, qua sub TVLLIO, iusserunt peragi duo illi libertatis Ro-

33) *Ad Triginta ICtor. Fragment. Comment. §. V. pag.* 131.
34) *Antiquit. Rom. Lib. IV. p.* 245. & *Lib V. p.* 278.
35) *Ant. Rom. Lib. IV. p.* 246. & *Lib. V. p.* 278.

Romanae vindices, cui non noti? Quis igitur credet, PAPIRIVM leges regias ad ſacros ritus pertinentes collegiſſe ſub tyranno, qui ſacrificia fere ſuſtulerat? Quid ſi etiam ita concluderem? Verum quis eſt, quin ſtatim perſpiciat, dubium hoc ex falſa, quae huic Viro eleganti ſedet, emanaſſe perſuaſione, quod nempe PAPIRIVS regnante iamiam SVPERBO ſuae legum collectioni concinnandae incubuerit, at cum ſupra hancce quorundam illuſtrium ICtorum ſententiam confutaui, atque *Ius Ciuile Papirianum* regibus demum exactis aſpexiſſe lucem, ex argumentis demonſtraui ineluctabilibus, equidem ſane, quomodo obiectio haec noſtram ſententiam feriat, non video. Id quidem ex hoc Viri argumento elucet, PAPIRIVM librum ſuum nondum ſcripſiſſe regnante SVPERBO, quo etiam ſupra vſus ſum ad eos, ſecus qui ſentiant, redarguendos, ſed, quod *Papirianum Ius* non niſi ſacrum fuerit atque Pontificium, id nullis vnquam exinde elicies fidiculis.

Ergo ſententia noſtra, in *Iure Ciuili Papiriano* omnes conſcriptas exſtitiſſe Regum Romanorum leges, POMPONII auctoritate ſubnixa, firmo ſtat talo, nec magis RITTERI, MAIANSIIQVE argumentis mouetur,

Quam

Quam si dura silex aut stet Marpesia
cautes.

§. XXXVII.

An ordo quidam in IVRE CIVILI PAPIRIANO *obseruatus fuerit, & quinam? disquiritur.*

Iam disceptanda se nobis adhuc offert quaestio, a nemine fere hucvsque expedita: scilicet an ordinem quendam, & quem quidem, secutus fuerit *Iuris Ciuilis Papiriani* auctor? Qua quidem in quaestione quamuis nihil certi definiri possit, tamen cum a suscepta tractatione seiungi commode haud possit, non committam, vt plane a me praetermissa videatur. Equidem omnino puto, PAPIRIVM in legibus regiis, in vnum corpus redigendis, ordinem quendam secutum esse. Quod vt credam, mouent me *primum* verba POMPONII, ideo librum PAPIRII *Ius Ciuile Papirianum* appellatum esse narrantis, *quod leges sine ordine latas in vnum composuit.* Iam quamuis nullum sensum admittere haec verba putauerit RITTERVS [36]), nisi velimus legere *suo ordine*, atque adstipulatorem nactus sit Cl. *Io. Bern. Chr.* EICHMANNVM [37]); tamen, cum verba, vti statim vide-

36) *l. c. pag. 32.*
37) *Erklaerung. des Bürgerl. Rechts. Th. I. p. 181. not. t. in fin.*

videbimus, ſenſum ſatis ſanum fundant, ab hac Viri Doctiſſimi emendatione facillime abſtineo: Quid ſibi itaque volunt *leges ſine ordine latae?* non niſi id, PAPIRIVM *leges regias, antea inordinatas, vtpote absque omni materiarum diſtinctione & ordinatione pro rerum neceſſitate diuerſis temporibus latas, in vnum compoſuiſſe:* vti rite haec verba *Greg.* MAIANSIVS [38]) explicuit. Iam cur quaeſo POMPONIVS dixiſſet, PAPIRIVM *leges ſine ordine latas* in vnum compoſuiſſe, niſi vt indicaret, PAPIRIVM leges has regias antea inordinatas, atque ſolummodo pro rerum neceſſitate absque omni materiarum diſcrimine ſucceſſiue latas, in ordinem redegiſſe? Deinde *vero* coniecturam meam adiuuat etiam verbum *componere*, quo vſus eſt POMPONIVS: obſeruauit enim multisque auctorum veterum locis docte probauit *Baſil.* FABER [39]), verbum *componere* eſſe cum cura ponere, conſtruere, ornare, ita, vt ordo, decor, concinnitas cuſtodiatur: nec aliquid ſit, quod horreat atque offendat: eſt igitur *in vnum componere* POMPONIO ſine dubio nihil aliud, quam *in ordinem redigere*, vel vti *Io.*

38) *Ad Triginta ICtor. omn. Fragm. T. II. §. 4 p. 131.*

39) *Theſauro erudit. Scholaſt. h. v. p. 118.*

Io. OLDENDORPIVS [40]) hoc verbum rite interpretatus eſt, *concinnare, vt facile a lectoribus intelligerentur leges, quo pertinerent. Componere enim*, pergit, *eſt multas res apta quadam cohaerentia, & velut harmonia ſimul ponere, coniungere.* Ex hisce, non extra omnem quidem dubitationem poſitis, haud improbabilibus tamen rationibus itaque patet, ordinem quendam in opere ſuo conficiendo ſecutum fuiſſe PAPIRIVM. Sed quemnam? de hoc certe, deficientibus idoneis hac in re teſtimoniis, multo maior eſt dubitatio. *Aloyſius L. B. a* LOCELLA [41]) ſcripſit: *Recte equidem Decemuiri publica, priuata, ac ſacra iura diſcreuere, ne qua confuſio oriretur. Id adeo in ipſis olim* REGIIS LEGIBVS *obſeruatum fuerat: quo procul dubio ſpectant illa* HORATII [42]):

— — — Fuit haec ſapientia quondam
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis;
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis:
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Neque

40) *Certiſſima Politiae in orbe Rom. reſtaurandae ac ſalutaris forma, quam omnibus ſeculis exhibet lex poſterior de Origine Iuris. Lugd. 1551. pag. 15.*

41) *Tribus Tentaminib. ad illuſtrand. LLs XII. Tab. Vien. 1754. Tent. I. §. 9. not. 3. pag. 37.*

42) *De Arte Poetic. v. 397.*

Neque id etiam ab omni probabilitatis ſpecie videtur alienum, quamuis in ſola Poëtae, qui tantum in vniuerſum de antiquis illis, quae HOMERVM anteceſſere, temporibus canit, auctoritate acquieſcere non audeo. Equidem, ſi coniecturae quid indulgendum, vero eſſe ſimile omnino arbitror, PAPIRIVM ab illis legibus Regiis orſum eſſe collectionem ſuam, quae ius ciuile priuatum concernebant, quibus ſecutae forſan leges ad ius publicum pertinentes, ita vt in legibus Regum ſacris deſierit. Conſtat enim, hunc ordinem ſecutos fuiſſe Decemuiros in componendis primis X. Tabulis; iam cum Leges non ſolum Graecorum, ſed etiam vel praecipue regias ex *Iure* procul dubio *Papiriano*, quod leges regias omnes continuit, in priores X. tabulas, DIONYSIO teſte [43]), retulerint Decemuiri, probabile admodum videtur, etiam *Iuris Papiriani* ordinem in conſcribendis XII. Tabb. legibus ab his fuiſſe ſeruatum: vti plerumque fere vſu veniſſe reperio, vt ad codicum anteriorum exemplum & imitationem collectiones poſteriores fuerint compilatae. An vero

43) *Lib. II. p. 97. & Lib. X. p. 681. princ.* adde & *Ev.* OTTONIS diſſ. *de LLbus XII. Tabular. Tom. III. Theſ. Iur. civ. Rom. praemiſſam cap. IV.*

ro in Libros diuiſa fuerit collectio *Papiriana*, quotue librorum numero abſoluta fuerit, equidem, omni teſtimoniorum idoneorum auctoritate deſtitutus, non definiuerim. Quamvis enim Cel. HOFFMANNVS [44]), CONRADI [45]), atque HEINECCIVS [46]), PAPIRIVM codicem ſuum in ſex libros deſcripſiſſe exiſtiment, *Ant.* TERRASSONVS [47]) autem in quatuor potius partes diuiſiſſe eum arbitretur, quarum *prima* leges de iure ſacro, *altera* de iure publico, & Politia, *tertia* de iure connubii, & patrio iure leges, *quarta* denique leges de contractibus, de ratione inſtituendi agitandique iudicii & de Funeribus continuerit; tamen cum coniectura priorum haud probabili illa Fragmenti *Pomponiani* emendatione *in libro ſexto Papirii* ſiue *in libros ſex Papirii* innitatur, ſupra §*phis XVI.* & *XVIII.* a me exploſa; TERRASSONII autem hariolatio nulla plane ſuffulta ſit auctoritate, neutri harum ſubſcribere poſſum. Forſitan vnum tantummodo in librum PAPIRIVS leges regias

44) *Hiſtor. Iur. Rom. Iuſt. Vol.* 2. *P. I. p.* 64.

45) *Praefat.* BYNCK. *praetermiſſ. ad* POMP. *praem.* penes VHLIVM *in opuſc. p.* 220.

46) *Obſ. hiſt. de iure Papiriano §. VIIII.*

47) *Hiſtoir. de la iurispr. Rom. P. I. §. V-VIII. p.* 22 ſeqq.

regias composuit, id quod & non obscure innuit POMPONIVS, an vero, quod nescio, quas Tripodas sentiens, tradit TORTORELLI DI FOGGIA [48]), vnus iste liber in viginti quatuor capita fuerit diuisus, quorum octo ad ius publicum, sedecim ad ius priuatum pertinuerint, de eo hucusque nullibi quicquam reperire, nec, vndenam huius rei scientiam acceperit, diuinare potui.

48) *Degli Antichi Giureconsf. Rom. Lib. I. cap. 1. pag. 2.*

SECTIO VI.

§. XXXVIII.

IVRIS CIVILIS PAPIRIANI *Fata*, *eiusque interitus & restitutio.*

Exposita sic *Iuris Ciuilis Papiriani* origine atque indole, visum est adhuc, in fata, quae illud expertum est, breuiter inquirere, quoad nempe in re tantis obnubilata & obsita tenebris progredi liceat. De fatis autem *Papirianae* collectionis plerumque sic statuunt, eam per regum eiectionem simul quoque esse abrogatam odio scilicet Regum, sicque iis exactis in vsu esse statim desiisse. Versantur in hac opinione praecipue *Io.* ROSINVS 1), *Ant.* TERRASSONVS 2), *Nic.* TORTORELLI DI FOGGIA 3) & *Herm.* CANNEGIETERVS 4), POMPONIOque 5) testimonium denunciant, *exactis Regibus omnes eorum leges exoleuisse*, scribenti; immo vero PAPIRIVM ipsum ideo, quod librum istum confecerit, leges Regum continentem, tanto

1) *Antiquit. Rom. Corp. Lib. VIII. c. 4. p. m.* 772.
2) *c. l. p.* 21.
3) *c. l. pag.* 3.
4) *Obseruat. Iur. Rom. c. l. pag.* 98.
5) *L.* 2. *§.* 3. *D. de o. I.*

to ſimul a populo Romano proſequutum eſſe odio, TORTORELLI [6]) tradit, vt ab officio ſuo amotus, procul negotiis priuatum viuere, conſilium ceperit, ſeque contulerit in villam ſuam trans Tiberim, vbi vitae ruſticae ita ſe accommodauerit, eiusque commoditates atque amoenitates familiares ſibi adeo reddiderit, vt omnium conſenſu PAPIRIVS *quietus* fuerit appellatus. Verum hos Viros, quod pace eorum dixerim, POMPONIVM ſuum peruerſe prorſus intellexiſſe, luculenter demonſtraui ſupra [7]), vt taceam, coniecturam eorum erronea niti opinione, quaſi PAPIRIVS iam ſub TARQVINIO SVPERBO ſuum ediderit legum regiarum volumen, quod tamen poſt Reges demum

6) *c. l. pag. 3. Quindi ridotto in baſſo ſtato* PAPIRIO, ſcribit TORTORELLI, *ed odiato al pari de' Re, poichè le geſte di coſtoro per mezzo del ſuo libro, al parer di quel Popolo, dalla freſca acquiſtata libertà ebbro, e baccante, in qualche maniera ſi ſcorgevano confirmate, e datele autorità; diviſò egli non più menare pubblica vita, ma ridotto in un ſuo podere, che di là dal Tevere poſſedeva, a privata, e tranquilla vita ſi riduſſe, e talmente aſſuefar ſi ſeppe a' priuati commodi, ed agli oggi di Villa, che per commun conſentimento* PAPIRIO *il* quieto *era appellato*, (DIONYS. *Alicar. lib. 5.*) *e da tutti tenuto: qual vita per longo ſpazio menata, e lontana dalle pubbliche cure egli tenne.*

7) *pag. 154 ſeqq.*

mum exactos in lucem prodiisse, vidimus [8]). Et quis est, cui non statim in oculos incurrat, TORTORELLVM PAPIRIVM nostrum confudisse, atque eundem fecisse cum *Manio* illo PAPIRIO, qui, DIONYSIO [9]) teste, primus Romae rex sacrificulus creatus est, viro patricio & quietis amantissimo? De Fatis itaque *Iuris Ciuilis Papiriani* equidem potius sic sentio.

 Quum

8) *Sect. IV. §. 25.*

9) *Lib. V. pag. 278.* TORTORELLVM nostrum *Iuris Ciuilis Papiriani* auctorem commutasse cum *Manio* illo Rege sacrificulo, clarius adhuc ex verbis patet subsequentibus. Posteaquam enim prolixe de prima Regis Sacrorum institutione disseruisset, honorem huncce *Sexto*, vt eum vocat, PAPIRIO delatum a BRVTO esse, pergit, quem etiam vsque ad vitae suae finem quiete gessisse, asserit his verbis: *Ma rinvenir tal persona doveasi, che di rimesso, e quieto animo egli fosse, ne a novitadi inchinevole, come in quel principio la bisógna portava, che impiego simile esercitasse. Per comune consentimento de' Padri, e del Popolo, dopo universal suffragio, sotto il consolato di Giunio* BRVTO *a tal dignità alzato no Sesto* PAPIRIO, *così mercè la mitezza del suo genio, non baldanzoso, nè feroce, che raccordevoli de' servigi renduti allo Stato per le leggi Papiriane, come per le mansuetudine, e moderazione dell' animo, sapendo così bene, ed a maraviglia, dalla pubblica, alla priuata vita passare, e disporsi. — Fino all fin di sua vita tale uffizio Sesto* PAPIRIO *esercitando, quietamente ne visse: così perchè tal Sacerdozio annale non era, come perchè accettissimo al Popolo Romano per la mitezza dell' animo suo, fu altamente avuto in pregio, ed istimato.*

Quum PAPIRIVS, priuato quamuis ſtudio, in vſum tamen, vt ſupra vidimus, tam populi, quam Magiſtratuum, ius dicentium, adornauerit collectionem ſuam, nihil coniectura me aberraturum credo, ſi eam magnam ſtatim nactam fuiſſe auctoritatem exinde colligam, praeſertim cum, praeter regias, nullae tum exſtarent leges, quas vel Magiſtratus in iudicando, vel plebs in agendo contrahendoque ſequeretur. Et ſtetit ſine dubio is honor *Papirianae* collectioni atque auctoritas Romae, quamdiu inter Patres & plebem concordia viguit. Bella enim a TARQVINIO mota & metus, ne forte inuitos Patres plebs recipere regem cogeret, effecere, vt principes ciuitatis ſumma opera inſeruirent plebi. Hinc Lex *Valeria* de prouocatione perlata, aliaque plebi commoda conceſſa, & quotus igitur quisque dubitaret, quin & Conſules primi leges in *Iure Papiriano* contentas, maxima quippe ex parte fauorem plebis reſpicientes, exacte ſerioque ſeruarint? Verum poſteaquam, morte TARQVINII Romae nunciata, cum metu reditus eius ſimul quoque priſtina illa concordia paulatim diſſolueretur, factum eſt, vt per contentiones, quae Patres inter & plebem nunc cooriebantur, adeo ſenſim euileſceret *Iuris*

Papi-

Papiriani auctoritas, vt ius incertum quasi fluitaret. Quum enim Patres aristocraticum, quod hucusque adfuerat, regimen retinere non tantum atque firmare, sed etiam extendere cogitarent, in plebem saeuire coeperunt [10]), illamque, cum aliter eam continere vix possent, vehementer in iudiciis, a solis Magistratibus patriciis tunc temporis administratis, laedebant, &, quam asperrime poterant, ius de creditis pecuniis dicebant in detrimentum depauperatae plebis, vt de APPIO CLAVDIO Consule LIVIVS [11]) enarrat. Erat enim Romae maxima multitudo eorum, qui ob aes alienum nexi erant, quique crudelissime a creditoribus habebantur [12]). Iam vero quoniam leges regiae in *Iure Ciuili Papiriano* comprehensae, maxima ex parte erant φιλανθρώπαι καὶ δημοτικαὶ, vt DIONYSIVS [13]) ait, inopique plebi obaeratae atque a potentioribus circumuentae prospiciebant, studio & de industria eas non obseruarunt Consules, sed suppresserunt illas, iusque pro auctoritate prorsus atque arbitrio dixerunt. Et hic est miserrimus ille rerum Status, de quo

10) LIVIVS *Lib. II. c.* 21.
11) *Lib. II. c.* 27.
12) LIVIVS *Lib. II. c.* 23. 24. & 27. & FLORVS *Lib. I. c.* 23.
13) *Lib. V. p.* 278.

DIONYSIVS [14]) asserit, *ius*, secundum quod Magistratus siue Consules lites, tunc inter litigatores quacunque de causa ortas, decidissent, *maxima ex parte constitisse virorum potestate praeditorum praeiudiciis.* Antecessorum enim iudicata sequebantur, atque de rebus creditis foenoreque, quo a patriciis premebatur plebs, illicito lites eadem, qua antecessores, asperitate ac duritie componebant. Quo factum est, vt leges regiae, in *iure ciuili Papiriano* comprehensae, prorsus exolescerent, *Populusque Romanus iterum incerto magis iure & consuetudine ali, quam per latam legem,* inciperet [15]). In his igitur caussa desuetudinis legum regiarum ponenda mihi videtur non, in singulari erga nomen regium odio, vt voluit Cl. BYNCKERSHOECKIVS [16]). Quodsi enim odium regum caussa fuisset, legibus regiis non vtendi, sine dubio omnes, idque statim post eiectos Reges, non exoleuissent, sed abrogatae fuissent, vti recte obseruasse mihi videtur *Adr.* STEGER [17]). At enim vero ipsum IVNIVM BRVTVM exactis regibus leges TVLLII reuocasse, a TARQVINIO sub-

14) *Lib. X. pag. 627.*
15) *L. 2. §. 3. D. de* O. I.
16) *Praetermiss. ad* L. 2. *§. 3. D. de O. I.*
17) Diss. *de Lege Tribunicia & inde nato incerto iure. §. 16. p. 33.*

ſublatas, ſupra accepimus. Iam quamuis collectio noſtra Legibus XII. Tabb. latis, in quas, DIONYSIO [18]) teſte, leges quoque regias, patriasque conſuetudines conſcriptas propoſuerunt Decemuiri, ſine dubio ex noſtro *Iure Papiriano* compilatas, inutilis plane atque ſuperflua facta videatur, cum, vti obſeruauit *I. A.* BACHIVS [19]), nullae aliae amplius valuerint, niſi quae eſſent XII. Tabulis comprehenſae, omnesque adeo relatae in duodecim ſint, quae adhuc eſſent obſeruandae; eam tamen, compoſitis etiam XII. Tabulis, adhuc IVLII CAESARIS aetate ſaltim quoad ius regium ſacrum, illa contentum, alicuius auctoritatis fuiſſe, vel ex eo patet, quod, qui illa aetate vixit, GRANIVS FLACCVS [20]), PAVLO [21]) teſte, librum *de Iure Papiriano* ſcripſerit, in quo ſine dubio leges tantummodo Re-

18) *Lib. II. p. 97. & Lib. X. p. 681. princ.*
19) *Hiſt. Iuriſpr. Rom. Lib. I. Cap. II. Sect. II. §. IX.*
20) Quisnam fuerit GRANIVS ille FLACCVS, de ea re nulla apud veteres extat memoria, quamuis alias multam eius mentionem fecerint. Eum Pontificem fuiſſe, probabile eſt, id enim fragmenta docent, ex Scriptis eius reliqua, quae omnia de ſacris agunt. Caeterum antiqua certe eſt gens *Grania*, in qua variae familiae, videlicet *Flacci*, *Baſſi*, *Cordi*, aliique, de qua gente vide *Lud.* CARRIONEM *Emendat. & Obſeruat. Lib. I. c. 4.* penes GRVTER. *p 98.*

Regum ſacras commentariis ſuis illuſtrauit, ceu ex Fragmentis concludi poteſt, quae ex Commentariis iſtis nobis ſeruauit antiquitas; niſi hunc GRANII laborem gratis & veluti temporis fallendi cauſſa ſuſceptum credere velis, id quod tamen eo minus putandum, ſiquidem verum eſſet, quod exiſtimant, GRANII *de iure Papiriano librum*, eundem fuiſſe cum Eiusdem *de indigitamentis libro ad Caeſarem* conſcripto, de quo ſupra egimus. Periit tamen poſtea haec collectio. Sed quando? non conſtat. Sunt iique magni nominis ICti, qui codicem *Papirianum*, vrbe a Gallis incenſa, mirabiliter conſeruatum POMPONII ICti tempore adhuc ſuperſtitem fuiſſe, ſibi perſuaſerunt. Qua quidem in opinione fuerunt *Fr.* BALDVINVS [22]), *Franc.* BROEVS [23]), *Ge.* EBERLINVS [24]) *Bern.* RVTILIVS [25]) & qui fere ad verbum eum exſcripſit *Valent.* FORSTERVS [26]): neque etiam omni haec coniectura fundamento deſti-

21) *L. 144. D. de V. S.*

22) *in Comment. in Leges Romuli p. 27. in fine* (Paris 1554. fol.)

23) *In breui totius iuris chronologica hiſtoria.* EIVS *Expoſitionibus in Imp.* IVSTINIANI *Inſtitut. praemiſſa p. 3. in fin.*

24) *de Origine Iuris cap. 35. n. 1. p. 271.*

25) *in Vitis ICtorum* Cap. I. pag. 2.

26) *Hiſtor. Iuris Civ. Rom. Lib. II. c. 2. p. 304.*

destituitur. POMPONIVS enim *de iure ciuili Papiriano*, vbicunque in *Enchiridio* suo eius mentionem facit, semper in praesenti loquitur tanquam de collectione, sua adhuc aetate superstite; sic v. c. inquit, *quae omnes* (nempe leges regiae) *conscriptae* EXTANT *in libro S. Papirii: porro Is liber* APPELLATVR *ius ciuile Papirianum* etc. Post tempora tamen POMPONII sensim periisse videtur, quum nullibi postea eius memoria amplius reperiatur. *Ius* enim *Papirianum*, cuius MACROBIVS[27]) meminit, non fuit PAPIRII collectio sed GRANII potius de *iure Papiriano* liber, vti luculenter demonstrauit Cl. *Pet.*

27) *Saturnal. III. 11. p. 322. in fine. In Papiriano iure* (ita ait MACROBIVS) *euidenter relatum est, arae vicem praestare posse mensam dicatam. Vt in templo,* inquit, *Iunonis Populoniae augusta mensa est. Nam in fanis alia vasorum sunt & sacrae suppellectilis, alia ornamentorum. Quae vasorum sunt, instrumenti instar habent, quibus sacrificia conficiuntur, quarum rerum principem locum obtinet mensa, in qua epulae, libationesque & stipes reponuntur. Ornamenta vero sunt clypei, coronae & cuiusce modi donaria. Neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra sacrantur. At vero mensae aulaeque eodem die, quo aedes ipsae dedicari solent. Vnde mensa hoc ritu dedicata in templo arae vsum & religionem obtinet puluinaris.* praeclarum istud antiqui iuris monimentum adnotationibus egregiis illustrauit B. HEINECCIVS *Obs. hist. de iure Papiriano* §. XI.

Pet. WESSELING[28]), qui sine dubio MACRO-

BII

28) *Obseruat var. Lib. I. c. 4. p. 12.* Non iniucundum fore reor, si ipsa Eius adiiciam verba: *Adduci non possum*, inquit, *vt ex eo* IVRE CIVILI, *quod* PAPIRIVS *Tarquinii Superbi temporibus collegit, haec esse transumpta existimem. Ipsa dictio, quae propius abesse ab* AVGVSTI *aetate videtur, quam* TARQVINII, *ab illa opinione me reuocat. Quodsi enim* POLYBII *aeuo linguae latinae peritissimis difficiles erant ad intelligendum formulae foederis, inter Carthaginienses & Romanos primis Consulibus initi, vt narrat ipse* POLYBIVS L. III. 22. *Quis crediderit hoc fragmentum, satis vtique nobis, qui tanto temporis interuallo distamus a* TARQVINIO, *perspicuum, illis ipsis Consulibus esse apertius? Addo* IVS CIVILE PAPIRIANVM *solas regum leges fuisse complexum, nullumque illis additum fuisse commentarium.* POMPONIVS de origine Iuris §. 2. *Is liber appellatur Ius Ciuile Papirianum, non quia Papirius de suo quicquam ibi adjecit, sed quod leges sine ordine latas in vnum composuit. Nemo autem, puto, facile crediderit, ea quae ex* MACROBIO *descripsi, esse legis alicuius regiae verba. Leges propter breuitatem magis jubere, quam docere solent. Verissima haec est obseruatio* LYCVRGI orat. in Leocratem: P. 161; *οἱ μὲν γὰρ νόμοι διὰ τὴν συντομίαν ὐ διδάσκυσιν ἀλλ' ἐπιτάττυσιν, ἃ δεῖ ποιεῖν. Nostra haec commentarii, in legem aliquam scripti, vicem obtinuisse videntur. Ordo verborum resque ipsae hoc a me impetrant, vt crederem; paeneque existimem descripta haec esse ex libro* GRANII FLACCI de iure Papiriano, *cuius in* L. 144. D. de V. S. *mentio est, librique titulum fraudi fuisse* MACROBIO. TERRASSONVS, qui *in Hist. Iurispr. Rom. P. I. §. 5. p.* 27. MACROBII verba, ex *Iure Papiriano* allata, ex ipsa collectione *Papiriana* transumta esse existimat, di-

cam

BII aetate adhuc exſtabat. Ceterum extra omnem dubitationis aleam poſitum videtur, introducta in Rom. Imperio Chriſtiana religione, omnem penitus *iuris Papiriani* auctoritatem, quae forſitan propter tenax Romanorum in conſeruanda religione patria ſtudium intuitu iuris ſaltim ſacri hucusque aliquatenus obtinuit, eſſe labefactatam; Conſtat enim, CONSTANTINVM M. qui primus Impp. chriſtianae religioni nomen dedit, quo ſibi Chriſtianorum animos adiungeret, iisque contra aemulos uteretur, leges, ad ſtabiliendam confirmandamque in Imperio Rom. religionem Chriſtianam, permultas ſanxiſſe, in quibus cultum deorum, ſuperſtitionemque veterem aboleri, atque templa deorum euerti iuſſit [29]). Aetatem itaque non tulit nobiliſſimum illud legum regiarum corpus, eo magis vero poſt litteras renatas de colligendis eius fragmentis *Fr.* BALDVINVS [30]), *Fulv.*

cam quidem WESSELINGO ſcripſit, ſed quae ipſi oppoſuit, refutatione nulla egere mihi viſa ſunt.

29) cfr. BACH. *Hiſtor. Iurispr. Rom. Lib. III. c. 3. Sect I. §. 6.*

30) *in Comm. in Leges Romuli Paris 1554. fol.* Sed caue omnes Leges, ROMVLO ab eo adſcriptas, genuinas eſſe credas; ſecutus enim eſt fidem tabulae illius antiquae, quam ei *Barth.* MARLIANVS exhibuerat, quaeque in Huius *Topographia vrb. Rom. Lib. II. c. 8.* inuenitur, quam vero

Fulv. VRSINVS [31]), *Pand.* PRATEIVS [32]), *Ant. Clarus* SYLVIVS [33]), *Paul.* MERVLA [34]), *Iuſtus* LIPSIVS [35]), *Io. Henr.* MOLLENBECIVS [36]), *Io.* ROSINVS [37]), *Ant.* TERRASSONVS [38]), *Chr. Godofr.* HOFFMANN [39]), *Io. Aug.* HELLFELD [40]), aliique cogitarunt, ſuisque commentariis illuſtrarunt.

vero ex hiſtoriae monumentis haud dubie confictam eſſe in ſpeciem veri, dudum animaduerterunt G. SCHVBARTH *de Fatis Iurispr. Rom. Exerc. I. §. 38. p. 64.* WALCHIVS *hiſtor. crit. linguae latinae p. 27.* G. D' ARNAVD. *var. coniectur. I. C. Lib. I. c. 3. aliique.*

31) *Notae ad Leges & Scta, quae in veteribus cum lapidum aerisque tum ſcriptorum monumentis reperiuntur. Lugd. 1592* 4to adiectae *Ant.* AVGVSTINI *libro de Legibus & Sctis Pariſ. 1594.*

32) *in Iurisprudentia veteri Draconis & Solonis cum Rom. iure legum regiarum & decemuiralium collata.* Lugd. 1569. 8vo.

33) *Comm. ad Leges tam regias quam XII. Tabb.* Pariſ. 1603.

34) *de Legibus Romanorum cap. II - VII. in Ei. Operibus var. poſthumis Lugd. Batav. 1684.*

35) *de Legibus regiis & decemviralibus.* Antwerp. 1601. 4to.

36) Diſſ. *de iure Papiriano. §. 14* ſeqq.

37) *Antiquit. Rom. Lib. VIII. cap. V. p. m. 774* ſeqq.

38) *Hiſtoir. de la jurispr. Rom. Prem. Part. §. V.* ſeqq. *p. 22* ſeqq.

39) *Fragmenta legum regiarum & iuris Papiriani.* in EI. *Hiſtor. Iuris Rom. Iuſtinianei.* Vol. II. Part. I.

40) *Hiſtor. Iuris Rom. (Ien. & Lipſ. 1740.) Lib. I. c. 1. §. 6. p. 4* ſeqq.

IOANNIS HENRICI
MOLLENBECII
IVR. VTR. LIC. EIVSDEMQVE PROFESS.
QVONDAM EXTRAORD. IN ACAD.
GIESSENSI

DISPVTATIO
EX HISTORIA ROMANA
DE
IVRE PAPIRIANO

QVOD
APVD QVIRITES ANTIQVISSIMVM
FVIT.

OCCASIONE L. 2. D. DE O. I.



GIESSAE · HASSORVM
MDCLXXXXVII.

I. N. I.

§. I.

Oleum videbatur & omnis opera perdi, ſi juri, quod ante tot ſecula in vſu fuit, nunc vero deſuetudine inumbratum eſt, labor impendatur. *Quotus enim quisque tam patiens eſt, vt velit diſcere, quod in vſu non ſit habiturus?* quaerit PLINIVS a). Improbari etiam id Imperatori, inde poterat inferri, quod jus antiquatum antiquas appellet fabulas b), quarum non *alius vſus*, vti ibidem παραφράζει HOTTOMANNVS c) conf. THEOPHILVM d) & *Scipion.* GENTILEM e) *quam qui fabularum eſſe ſolet h. e. infructuoſa quaedam oblectatio in audiendo.* Verum longe aliter ſe rem habere & ratio & experientia docet. Ne argumenta enim, quae ICtus Cajus f) hanc in

a) *Epiſt. 8.*
b) *§ 3. j. provem.*
c) *Comment. ad d. §. Provem.*
d) *Inſt. h. t.*
e) *Parerg. lib. 2. c. 26.*
f) in *l. 1. ff. de O. j.*

rem produxit, & in formam redegit EBERLINVS [g]) proferamus, facit antiqui juris cognitio ad elegantiam & ornamentum jurisprudentiae, eamque accuratam a proletaria & mera forensi discernit: praestat vsum Historicum & Politicum in materia de Legibus ferendis insignem, vti HORDLEDERVS [h]) probat. Praeterea quamuis jus antiquatum in ipsa tritura judiciali non occurrat, quin pro crimine falsi habeatur, si lex antiquata ibidem allegetur, *L. 2. §. 19. C. de V. I. E. L. fin. ff. ad L. Corn. de Fals.* tamen quatenus ad juris nouissimi faciliorem, & solidiorem notitiam facit, & hic sibi locum quendam per indirectum potest vindicare. Vt ecce, non amplius Testamenta per aes & libram *§. 1. j. de Testam. Ordin.* fiunt, nec Adoptio amplius imaginariis mancipationibus celebratur *L. vlt. C. de adopt.* Quod si tamen in foro testamentum ob defectum septem testium refutatur, aut adoptatus adoptantis potestatem jubetur subire (prout hodie adhuc adoptatio in vsu est, vti contra VINNIVM [i]), GROENEWEGEN [k]), & CHRISTINAEVM [l]) id praejudiciis confirmat Magn. STRYCKIVS [n]) sane digitus ad dicta etiam

g) *Explic. tit. D. de O. j. cap. 1.*

h) *Von den Ursachen des teutschen Kriegs in praefat.*

i) *ad pr. I. de adopt. n. 2.*

k) *de LL. abrog. ad h. tit.*

l) *Vol. 4. dec. 155.*

n) *Vs. modern. ff. tit. de adopt. §. 1.*

etiam obſoleta intenditur. Imperatoris vero oppoſita autoritas, tantum abeſt, vt antiqui juris ſtudio obſtet, quin laudem potius & gloriam ei foeneretur. Ne quid enim de Digeſtis, quae ipſa antiqui juris titulo in *§. 4. j. prooem.* inſigniuit, dicamus, in ſuccincto Inſtitutionum compendio, vbi tamen *nihil perperam, ſed quod in ipſis obtinet rerum argumentis poſitum* ait IVSTINIANVS *§. 3. j. prooem.* jura antiquata ſaepe v. g. *in tit. de Attiliano Tutore, Vſucapionibus* etc. nobis propinantur, vid. *§. 5. j. prooem. §. 1. j. de Teſtam. ordinand.* nec quod fabularum nomine efferantur (quamquam illa vox ne quidem ſemper rem fictam ſupponat, vti ex PROPERTIO [o]) & CICERONE [p]) Friſiae illud & jurisprudentiae Decus B. HVBERVS [q]) oſtendit) non alio ſenſu, quam qua vſum illum immediatum & principalem, quo ſententiae judicum ſolent moderari, qui inde expectari nequit, videtur explicandum. Confer ſis pluribus de antiquitatis ſtudio, FREIGIVM [r]), VOETIVM [s]), BESOLDVM [t]), MÜLLERVM [v]). Quare non deeſſe operae pretium credidimus, ſi de *jure Papiriano* quali

o) *lib. 2. eleg. 23.*

p) *Lib. IV. ad Attic. ep. 2.*

q) *Digreſſ. p. 1. Lib. 1. c. 4. n. 2.*

r) *pecul. Oratione de antiq. ſtudio.*

s) *tract. vſ. jur. civ. & canon. c. 2.*

t) *Templ. juſtit. §. 58 ſeq.*

v) *diatr. ſtud. juris tract. ſect. 1. p. 8.*

quali hac dissertatione ageretur, non saltem quod cognitioni *XII. Tabb. quae fons omnis Publici Priuatique juris* a LIVIO [u]) laudantur, & juri etiam hodie vsitato sternit viam, sed & quod ipsae ejus juris quaedam partes in judiciis valide obseruentur; Ne autem id praepostere fiat, methodum secundum causarum ordinem volumus adhibere.

§. II.

Principio quando jus Quiritum consideraturi sumus, ex triplici juris acceptione quam notauit *H.* GROTIVS [a]) id hic non pro *facultate morali* (quo sensu id explicarunt prolixe *Car.* SIGONIVS [b]) & *Wolfg.* LAZIVS) [c]) aut *jure reddito*, ex *l. pen. ff. de j. & j.* vel *manu regis* (quae nihil aliud, quam liberam potestatem significat, qua populum non quidem violente, vti alias apud FLORVM [d]) & SENECAM [e]) conf. *Gothofr.* [f]) occurrit, sed placide & ex dictatu, non scriptarum Legum, sed solius rectae rationis Reges Romani populum gubernarunt, & judicia exercuerunt, vti recte BRISSONIVS [g]) & contra

u) *lib. 3. c. 34.*
a) *de I. B. & P. L. 1. c. 1.*
b) *Integr. tract. de antiq. iur. civ. Rom.*
c) *Comment. Reip. Rom. Lib. IX.*
d) *Lib. 1. c. 1. §. 10.*
e) *L. 3. de Ira. c. 2.*
f) *ad l: 2. ff. de O. I.*
g) *in voce manus.*

contra VOETIVM h) B. HVBERVS i) docent, quae duae acceptiones sub hac prima GROTII videntur latere: Aut pro eo, *quod justum aequumue est*, sed pro *lege* sumimus, quam idem ὁ μέγας k) *normam actuum moralium obligantem ad id, quod rectum est*, descripsit. Per Quirites autem, quod tralatitium est, intelligimus Romanos, vbi enim inter Hos Sabinosque fuit debellatum, & vtrique Populo in vnam ciuitatem coalescere placuit, vti parem ex asse fortunam paribus pactis sibi fuere stipulati (nam qua pactum primum & secundum modo homogeneo se conjunxerunt) sic & nouo ex aequo communi, nomine, prout solent in mutationibus ciuitatum hic gentes vigilare, conf. TACITVM l), *Iacob.* GOTHOFREDVM m), THVANVM n) a Sabinorum Regis Tatii patria *Curibus*, vti HALICARNASSEVS o), VARRO p) & PLVTARCHVS q) vel a *quiri* vti SERVIVS r) & FESTVS s) auctores sunt, voluerunt appellari.

 §. III.

h) *Comment. Instit. de I. N. G. & C. §. 6. n. 3.*

i) *Digress. L. I. P. I. c. 1. n. 3.*

k) *de I. B. & P. L. I. c. 1. §. 9.*

l) *Ann. I. c. 31.*

m) *jur. praecedent. p. 1. c. 3. th. 25.*

n) *ad ann. 1604.*

o) *lib. 2. c. 5.*

p) *de ling. lat. c. 4.*

q) *in Romulo pag. m. 30.*

r) *Lib. 1. Aeneid. pag. 199.*

s) *Fragm. Vrsin. pag. 157.*

§. III.

Atque ita per jus Quiritum antiquissimum, nihil aliud intellectum volumus, quam Leges, quas in primo Reip. Romanae statu, qui primum ibidem rerum summae praefuerunt, Reges populo Romano sanciuerunt.

§. IV.

Solet id a causa efficiente principali jus *Regium*, vide LIVIVM [a]) & MARCELLVM [b]) sed a causa instrumentali *jus Ciuile Papirianum* apud POMPONIVM [c]) appellari. Forte nec male *jurisprudentiae primae* titulo insignires. Quamuis enim κατὰ λέξιν sic nullibi in jure appelletur, tamen cum jurisprudentiae mediae in *§. 3. J. de Legit. agnat. success.* mentio fiat, quae non prudentiam latas in ciuitate leges congrue interpretandi, & ad factum adplicandi, vti alias, sed νομοθεσίαν ipsam vti GOTHOFREDVS [d]) & HOTTOMANNVS [e]) obseruarunt, ibi supponit, & *Legibus XII. Tabb. junior sed Imperiali dispositione anterior esse* dicitur, nullae vero aliae leges, quam XII. Tabb. & Regiae, illa media tempora praecesserint, sane has primam jurisprudentiam absoluere, vti Imperatorum Constitutiones vltimam dicendum est. Equidem pleri-que

a) *lib. 6. pr. & lib. 34. c. 5.*
b) *in l 2. ff. de Mort. infer.*
c) *in L. 2. §. 2. ff. de O. I.*
d) *in Not. ad I. §. 3.*
e) *Comment. Inst. cit. loc.*

que tantum interpretationem ICtorum, τῶν σόφων, vt THEOPHILVS [f]) habet, per mediam jurisprudentiam intelligunt, multa tamen vicissim a se inuicem diuersitate, dum quidam ad Augusti tempora, alii ad Imperatores Orientales, quos inter VINNIVS [g]) est, extendunt, alii vero, vti ZASIVS apud Clariss. *van* ECK [h]) *Antecess. Vltraject. celebratiss.* demum a Trajani tempore eam auspicantur; verum, vti videtur, cum difficultate, sic enim si explicetur media, periculum est, ne amittatur prima, cum nulli ante LL. XII. Tabb. jurisconsulti, (nisi Patres ipsos, qui officii causa suis clientibus de jure respondebant, pro iis habere velis) memorentur; Deinde quia in *d.* § *Inst.* per illam illud dicitur abrogatum, quod ipsis XII. Tabb. Legibus erat introductum, quod ad interpretationem priuatorum applicari nequit, vt taceamus, nouum non esse, jus & jurisprudentiam synonimice sumi: vide sis ACCVRSIVM, & recentiores CVIACIVM, HOTTOMANNVM, PACIVM, in suis commentationibus ad d. loc.

§. V.

Causa efficiens vel vniuersalis est vel particularis. De illa nihil hic attinet dicere, haec vero

f) *Instit. h. t.*

g) *Comment. ad d. §. 3. J. de Legit. agnat. success.*

h) *Princ. I. civ. tit. de O. j. th. 45.*

vero vel principalis eſt vel inſtrumentalis. Illa ſunt, qui Romae in noua illa ciuitate primi τὸ κύριον habuerunt Reges; Nec tres tantum priores ROMVLVS, NVMA & TVLLIVS, vti communiter volunt, ſed & reliqui, vti TACITVS [a]), HALICARNASSEVS [b]) & POMPONIVS [c]) innuunt & nouiſſime monet *Dn.* HOPPIVS [d]), niſi quod TARQVINIVM SVPERBVM velimus exceptum, qui Tyrannus magis, quam Rex, legumque magis euerſor, quam auctor fuit. Inter omnes autem ROMVLVS hic primum memorandus eſt, non tantum, quod is validiſſimae Reip. jecerit fundamenta, ſed & quod quas leges *juris Papiriani* ceu e naufragio ſcalpum reliquas habemus, ei fere vnice ſint adſcribendae. Hic ergo qui ἀπὸ τῆς ῥώμης a robore. vti FESTVS autor eſt, dictus, poſtquam e Rheâ Syluia, vi a Marte (quantum olim putatus eſt, vt addit EVTROPIVS [e]) cum callidus veterum mos eſſet narrationibus in miraculum corruptis, initia Rerumpubl. conſecrare notante BOXHORNIO) [f]) compreſſa natus eſſet, & ab AMVLIO, qui regnum vetuſtum Syluiae gentis Latinum fratri ſuo ſeniori ademerat, expoſitus,

a) *III. Annal. c. 26.*

b) *lib. 2. c. 3. in fin.*

c) *l. 2. §. 2. de O. j.*

d) *Praecogn. jur. Rom. c. 1. §. V.*

e) *Hiſtor. Rom. Lib. 1.*

f) *diſſert. de Rom. imper. 1. th. 2.*

positus, sed a Faustulo regii gregis magistro servatus, ab eiusque vxore Laurentia, ob mores & ingenium lupa dicta, conf. ISIDORVM g) & LACTANTIVM h) educatus esset, tentatis primum inter pastores per venationes & latrocinia viribus, vt Remo captiuo apud Numitorem fratri postmodum succurreret, occulte & diuersis itineribus collapsâ manu regiam adoritur, Regemque adjuuante Numitore obtruncat. Inde vbi Numitori juri suo restituto esset gratulatus, & cupido animum caperet. in loco, vbi expositus, vbi educatus esset, habitandi, ad condendam consensu regis vrbem se accingit. Id opus vbi ad colophonem deduxit, Deam illam terrarum Gentiumque, vti MARTIALI vocatur, a suo nomine Romam vocat, & quod *non in parietibus remp. consistere,* vti apud NEPOTEM asserit THEMISTOCLES, comperisset, pro concione de imperio & forma Reip. introducendâ, monitu Numitoris orationem habet. Quo facto spectata ejus, vt tum erant, virtus, quod in rebus bellicis magnus, periculorum contemtor, & in Rep. optime administranda prudentissimus haberetur, praeterea ob regium genus & principatum coloniae, cui cum Remo ad ornandam vrbem praefuerat, insignis esset, vt communi omnium

g) *Etymol. lib. 10.*

h) *diuin. Instit. lib. 1. cap. 20.*

omnium consensu, vt ait DIONYSIVS, eidem fasces deferrentur, effecit, quos is explorato tamen ante Deorum applausu etiam acceptat. Vide sis prolixius, quos antesignanos hic secuti sumus, LIVIVM [i]), DIONYSIVM HALICARNASSEVM [k]) & PLVTARCHVM [l]).

§. VI.

Sed dum hinc tanquam a prima origine *jus Regium* deriuamus, praeter jam dictos autores, autoritate etiam nitimur CICERONIS [a]), VARRONIS [b]), SOLINI [c]), qui passim Romulum tanquam parentem, a quo caput mundi ortum, laudare solent, atque ita etiam recentiores pluribus docent, SIGONIVS [d]), ONVFRIVS PANVINVS [e]), MARLIANVS [f]), KORNMANNVS [g]) & nouissime *Al.* DONATVS *in Roma veteri, & recenti* [h]) quanquam, quod fatendum, plerique hi de temporis circumstantia vehementer inter se discrepent, vti ex doctissimis SCHMIDELII [i]) notis videri potest, vt vulga-

i) *lib. 1. cap. 5.* & seqq.

k) *lib. 2. c. 1. & 2.*

l) *in Romulo.*

a) *Orat. in Catil. 3. & de diuinat. lib. 2.*

b) *Re rust. lib. 3. c. 1.*

c) *Polyhist. L. 1. C. 2.*

d) e) *Comment. Fastor. & Triumph. pr.*

f) *Epit. Rom. antiquit. c. 2.*

g) *comment. ad l. 33. ff. ad Munic. cap. 2.*

h) *lib. 1. c. 2.*

i) *in not. ad Boxhorn. Diss. 1. th. 1.*

vulgatior tamen interim ſententia ſit, anno M. 3220. ante ſaluatorem natum 752. id contigiſſe. Conf. GVTHBERLETHVM [k]), BOXHORNIVM [l]). Equidem poterat id hic opponi, non poſſe non antiquiores Romulo juris Romani natales eſſe, cum tot ante Romulum ſeculis Roma extructa, atque dubio procul legibus ciuilibus vſa fuerit. Verum res in tranquillo eſt: poſito enim fuiſſe ante Romulum in illo loco aram Herculis, aedem Saturni, vel alia, quae apud SOLINVM [m]) memorantur, habitaſſe etiam incolas, vel plane fuiſſe vrbem, quod SALLVSTIVS [n]) & PLVTARCHVS [o]) volunt, aut arcem vti VIRGILIVS [p]).

Tunc Rex Evandrus Romanae conditor arcis

adeoque Romulum magis amplificatorem, quam fundatorem, vti loquitur Dominus *ab* ANDLER [q]) extitiſſe, tamen per haec ſaltem vniverſitas ſ. ἀπόσπασμα quoddam Latinorum regni, non vero ciuitas vera, quatenus haec proprio hodie politicis, conf. BOECLERVM [r]),

CON-

k) *Chronol. pag.* 107.

l) *Chronol. pag.* 8.

m) *Polyhiſt. cap.* 2.

n) *bell. Catilin. cap.* 6.

o) *in Romulo.*

p) *Aeneid.* 6.

q) *jurisprudent. div. & hum. lib.* 1. *tit.* 2. *part.* 2. *n.* 10.

r) *Diſſ. de eo quod ciuit. egit. pag.* 5.

CONRINGIVM s), HVBERVM t), nec aurei tamen feculi fcriptoribus, vti TACITI v), *I.* CAESARIS u), CICERONIS x), *Corn.* NEPOTIS y) loca euincunt, ignoto fenfu *coetum perfectum liberorum hominum, qui juris fruendi & communis vtilitatis caufa fociatus & fumma poteftate eft inftructus*, fupponit, fuiffe euincitur, adeoque per confequens, cum de jure ciuili, quod, vti imperator in § *1. j. de j. N. G. & C.* loquitur, eft, *quod quilibet populus fibi ipfi conftituit*, liber fc. nec fuperiorem habens, vti vno ore hic omnes commentantur, & quod a qualibet ciuitate (fc. proprie dicta) denominatur §. *2. j. d. t.* non vero de ftatutis, quae ab vniverfitatibus condi folent, nobis fermo fit, nec jus ciuile Romanum, quod ROMVLO antiquius fit, inde probari poteft. Id praeterea quis poterat caufari, quare Remum hic praetereamus, qui tamen in imperio videtur cum ROMVLO concurriffe. Verum vtut RVPERTVS a) quidem fic velit, verior tamen hiftoriae fides, vti ex fupra laudatis autoribus patet, eidem eft adverfa, quamquam, cum vrbs conderetur, pari cum ROMVLO autoritate eum conditoribus prae-

s) *diff. de Ciuit. nov. & introd. in polit. Arift. c 4.*
t) *Obferv. human. lib. 1. cap. 12.*
v) *I. Annal. C. XI.*
u) *De Bell Gall. lib. 1.*
x) *1. de Rep. ap. Nonium.*
y) *in Miltiade cap. 5.*
a) *animaduerf. tit. d. o. j. c. 2. pag. 32.*

praefuisse, jam simus largiti, quomodo accipimus autores, quos doct. DEMSTERVS b) hac in re produxit.

§. VII.

Ex his facile conjici potest, ROMVLVM summam potestatem habuisse. Quamuis enim de variis in vniuersum Reipublicae Romanae formis alias admodum fluctuent Politicorum judicia, adeo vt & ea in ordinem velle redigere, sit secundum ARNISAEVM a) cum ratione velle insanire, de Regum etiam, qui inter illos septem fuere vltimi, SERVII TVLLII & L. TARQVINII SVPERBI, postquam primus priuatarum rerum judicia, teste DIONYSIO b) priuatis judicibus commisit, legesque sanciuit, *quibus etiam Reges*, vt ait TACITVS c) *obtemperarent* (quamquam in eo conatu eum a genero oppressum fuisse LIVIVS d) testetur conf. B. HVBERVM e) & quod volunt BODINVS f), CORRASIVS g) & nouissime *B.* TESMARVS h), obnitente tamen ARNISAEO i) ab

b) *Paralipom. ad cap. 1.* ROSIN. *Antiquit.*

a) *De Repub. part. 2. cap. 16. num. 1.*

b) *lib. 4. c. 3.*

c) *3. Ann. c. 26.*

d) *lib. 1. c. 48.*

e) *praelect. ad ff. d. O. j. tb. 2.*

f) *de Rep. lib. 1. c. X.*

g) *ad l. 2. §. 3. ff. d. O. j.*

h) *Comment. ad Grot. lib. 1. c. 3. §. XX. n. 5. lit. B.*

i) *de Rep. L. 2. c. 6. n. 6.*

ab illis ad populum prouocatio processit, τῷ ἀνυπευθύνῳ cum Cl. BOECLERO k) subsistamus, tamen de Romuli Majestate res expeditior est, postquam non TACITVS l) saltem rotunde eidem τὸ κύριον tribuat: *Nobis Romulus vt libitum imperitauerat*, sed praeterea ex pacto secundo f. Legibus fundamentalibus, vnde valide de Majestate judicari potest: vide Illustr. PVFFENDORFIVM m) quod Romani cum Romulo inierunt, & apud DION. HALICARNASSEVM n) exhibetur, id aperte elucescat; actu etiam secundo non jus saltem ferendi leges, belli & pacis, sed & vitae necisque, & quod circa sacra occupatur, augustum jus exercuisse, apud LIVIVM o) & DIONYSIVM p) referatur: conf. BOECLERVM q), BOXHORNIVM r). Imo cum Majestas alia patrimonialis sit, alia vsufructuaria, vti docet GROTIVS s), sane illam magis habuisse, quam hanc, videtur asserendum. Neque enim saltem nihil sibi reservasse populus in paciscendo legitur, sed & in forma a maioribus accepta, nihil se mutatum velle

k) *Comm. ad Grot. L. 1. c. 3. §. 20.*
l) *Ann. 3. c. 26.*
m) *de I. N. & G. Lib. 7. cap. 3. §. 1.*
n) *lib. 2. c. 1.*
o) *lib. 1. c. 7.*
p) *lib. 2. c. 2. & lib. 3. c. 5. pag. 241.*
q) *ad H. Grot. l. 1. c. 3. §. 20.*
r) *Diss. 1. de Imp. Rom. th. 2.*
s) *de I. B. & P. lib. 1. c. 3*

velle profeſſus fuit. Latinorum autem regnum [ex quo plerique fuere, qui primum in Romanam ciuitatem coierunt teſte Dionyſio t)] patrimoniale fuiſſe, inde colligimus, quod Syluius Procas Rex Latinorum regnum vetuſtum Syluiae gentis Numitori legaſſe [quod dubio procul veriſſimum ciuitatis patrimonialis γνώρισμα eſt, vti dict. loc. docet GROTIVS: adde BOXHORNIVM v) & Beat. ZIEGLERVM u)] apud LIVIVM x) legatur.

§. VIII.

Sunt tamen nonnulla, quae & Romuli quandam Monarchomachiam videntur continere, quae paucis ſunt euoluenda. Sic quod DIONYSIVS a) ait interprete AEMILIO PORTO, *jam olim ex priſcis legibus haec tria maxima & maxime neceſſaria penes populum fuiſſe, nim. jus Magiſtratum tam domi quam militiae creandi & leges confirmandi & abrogandi & pacem bellumque decernendi*, tam Romuli quam reliquorum ἀξίωμα regium videtur impugnare. Cui ſimile, quod apud SALLVSTIVM eſt b): *Reges imperium*

t) *lib.* 2. *c.* 1.

v) *Differt. de Succeſſ. th VI.*

u) *Comment. ad Grot. l.* 1. *c.* 3. *pag.* 139.

x) *lib.* 1. *cap.* 3.

a) *lib.* 4. *c.* 2.

b) in *Catilin. cap.* 6.

rium legitimum nomen imperii regium habebant. Accedit, quod pressius de Romulo loquitur, ex ejus legibus, quas infra habebimus, hanc esse, *Populi suffragia sunto, Magistratus creanto, leges sciscunto, bellumque jubento.* Verum non haec tamen Romuli Majestatem eneruare, facile constabit, modo si sequentia obseruentur. Primo certum, quod populo facultatis circa regendam rempublicam competiisse videtur, non aliter quam ex liberali & spontanea Romuli concessione vnice descendisse, nam in ipso pacto, vti dictum, fundamentali, nihil sibi populus erat stipulatus. Ejusmodi autem spontaneae Regum declarationes speciem magis & simulachrum voluntatis, quam quid veri solidique solent continere. Deinde vtut seriam mentem Regis fuisse supponamus, tamen quamdiu illa sibi similis est, & interim a populo quid actum, ab ipsius Regis Imperio id prouectum fuisse intelligi debet, vti docet ὁ πάνυ GROTIUS d). Tertio quamuis alias ex vera promissione, etiam Regis, vti idem habet GROTIVS e) ei, cui quod promissum est, verum & perpetuum jus oriatur, tamen si promissio non absolute sed saltem ad beneplacitum sit concepta (quale fuisse Romuli institutum DIO-

NYSIVS

d) *de j. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 18.*

e) *lib. 2. c. 14. §. 2.*

NYSIVS f) probat: ibi. *Plebi haec tria concesſit, magiſtratus creare, leges ſancire, & de bello decernere, quoties Rex permiſiſſet.* Conf. ARNISAEVM g) eam, prout volupe eſt, reuocari poſſe, conf. MYLERVM *ab* EHRENBACH h), ZIEGLERVM i), GAILIVM k). Quarto quae Romulus populo permiſit, non ad ipſa Majeſtatis jura, ſed eorundem ſaltem exercitium ſ. accuratius ad exercitii modum pertinere: neque enim Romulum a jure v. g. ferendi leges ſe abdicaſſe, ſed populo ſaltem, vt νομοθετικῷ actui intereſſet, permiſiſſe: ſecundum POMPONIVM l) *Romulus tunc reip. curam per ſententias partium earum expediebat.* Hoc vero caſu non tolli e ſubjecto proprio Majeſtatem, ſed ſaltem temperari, docent BOECLERVS m), GROTIVS n), REINKING o), MONZAMBANVS p) conf. ARISTOTELEM q) illud minus difficultatis ha-

 bet,

f) *Lib.* 2. *c.* 2. additis, quae *Lib* 3. *c.* 5. *§.* 241. proponuntur.

g) *de j. Majeſt.* L. 2. *c.* 3. *n.* 2.

h) *de Princip. & Stat. Imp. p.* 2. *c.* 49. *n.* 10.

i) *de j. Majeſt. lib.* 1. *c.* 1. *th.* 16.

k) 2. *obſ.* 55. *n.* 7.

l) *l.* 2. *§.* 2. *ff.* de *O. j.*

m) *Inſtit. Polit. Lib.* 3. *c.* 8 *p* 190. & *Comm. ad H. Grot. L.* 1. *c.* 3. *§.* 19.

n) *de j. B. & P. Lib.* 1. *c.* 3. *§.* 17.

o) *Regim. Secul. & Ecclesſ. Lib.* 1. *cl.* 2. *cap.* 2. *n.* 56. & 242.

p) *de Stat. Reip. Germ. cap.* 6. *§.* 4.

q) 4. *Polit.* 5. 6. *Polit.* 4. 3. *Polit.* 11.

bet, quod POMPONIVS r) Reges Magiſtratus videatur appellare: Magiſtratus autem, vti CICERO s) ait, ſit Miniſter, qui legibus ſubſit conf. CVIACIVM t). Non enim reges fuiſſe Magiſtratus, ſed acturus de Magiſtratibus ait, omnem ab initio poteſtatem ſub Regali fuiſſe comprehenſam, quemadmodum poſtmodum Caeſares omnia munia magiſtratuum teſte TACITO u) rurſus ad ſe traxerunt conf. ARNISAEVM v), HVBERVM x), RVPERTVM y).

§. IX.

Ex his, (quae non ſaltem de Romulo, ſed & ſucceſſoribus maxime quatuor proximis dicta volumus) nunc judicari poteſt, quid de BOXHORNII a) opinione, qui Romuli imperium παμβασιλέιαν, & *Coriolani* in oratione ad Volſcos apud HALICARNASSEVM b), nec non Dn. ANDLERI c) & *Sc.* GENTILIS d) qui remp. mixtam ſtatuunt, judicari debeat. Illius enim indubia, ſi de tempore, quod ante comitia curiata

r) *l. 2. §. 14 ff. de O. j.*
s) *Orat. pro Cluent. & Lib. 3. de LL.*
t) *ad d. tit. d. O. j.*
u) *1 Annal. pr.*
v) *de jur. Majeſt. lib. 2. c. 3. n. 2.*
x) *Praelect. ad ff. tit. de O. j. §. 2.*
y) *in Enchirid. cap. 2.*
a) *Diſſert. I. Imp. Rom. 1. th. 2.*
b) *Antiquit. Rom. Lib. 8. pr.*
c) *Iurisprud. div. & hum. Lib. 1. t. 2. n. 23.*
d) *diſſert. de Princip Roman. th. 2.*

riata processit, loquamur; hi vero mixtam cum temperata confundunt. Caeterum id verbo lubet hic monere, remp. Romanam nunquam sub regibus regularem ciuitatem constituisse; principio enim eam Romulus in patrimonio habuit, vti dictum, postmodum vero vbi populus vtcunque ad exercitium Majestatis admissus, rursus terminos laudatae ciuitatis excessit: nimirum vtvt Roma tum originaria & nouitia ciuitas fuit, tamen eam non homines, qui e statu naturali sed Ciuili in ciuilem se contulerunt, erexerunt.

§. X.

Ad causam instrumentalem suffragia populi, quae in Comitiis ferebantur, recensemus. *Comitia* erant *coetus populi, quem Magistratus legitime conuocauit, vt aliquid suffragio suo vel juberet vel prohiberet*, vti SIGONIVS [a]) describit, sed quia tria eorum extitere genera, curiata, centuriata, & tributa, [nam quae calata dicuntur, peculiarem speciem non constituunt, vide *A.* GELLIVM [b]), ROSINVM [c]), VINNIVM [d])] non de tributis, quae demum post ejectos Reges inualuerunt, sed de curiatis, quae antiquissima

 &

a) *Antiq. jur. Civ. Rom. lib. 1. c 17.*

b) *Noct. Attic. L. 15. c. 27.*

c) *Antiquit. Rom. L. 6. c. 1.*

d) *Comment. Inst. de Testam. ord. §. 1. n. 1.*

& ab ipſo Romulo fuere inuenta, nobis ſermo eſt, quanquam & centuriatis, quae Seruius demum introduxit, quasdam rogatas eſſe DIONYSIVS e) atteſtetur: Perinde autem eſt, quo tempore curiata Romulum, an ante bellum Sabinum, quod DIONYSIVS f) an poſt illud, quod LIVIVS g) & PLVTARCHVS h) volunt, inſtituiſſe dicamus, cum vtrumque, vti nouiſſime Dn. *van der* MVELEN i) oſtendit, diuerſo reſpectu defendi poſſit. De illo ſatis conſtat a triginta curiis, in quas Romulus vniuerſum populum partitus fuit, ea fuiſſe dicta, curiae enim (quae vox hic non locum vel jus quo curiales fuere donati, ſed coetum ſiue vniuerſitatem ciuium ſupponit conf. SIGONIVM k) per praecones in comitio primum congregatae, conſultatum deinde ſecedebant, & pro facta poſt ſortitione reuocatae, ſua vota in his comitiis publicabant, atque ita per illas publicorum negociorum cura (vnde & nomen ſecundum VARRONEM l) & POMPONIVM m) acceperunt) a Regibus fuit expedita: vide ſis ex profeſſo *Carolum* SIGONIVM n) & *Nicolaum* GRVCHIVM o).

Suffra-

e) *Lib. 4. cap. 2.*
f) *Lib. 2. c. 2.*
g) *Lib. 1. c. 13.*
h) *in Romulo p. m. 10.*
i) *in hiſtor. Pompon. de O. I. §. 2.*
k) *Antiq. jur. Civ. Rom. L. 2 c. 3.*
l) *ap. Nonium Lib. 2. de vit. Pop. Rom.*
m) *l. 2. §. 2. de O. I.*
n) o) *de Comit. Rom.*

Suffragia autem illa tum fuiſſe ore prolata, certum eſt, cum quae Scriptura & Tabella, quaſi *vindice libertatis*, vti loquitur CICERO [p]) fierent, demum poſt legem tabellariam a *Gabinio* Tribuno plebis Anno V C. DCXIV. latam, quam poſtmodum aliae, *Caſſia*, *Papiria* & *Coelia* inſecutae, in vſum fuerint introductae. Conf. CICERONEM [q]), ROSINVM [r]), FORSTERVM [s]), MANVTIVM [t]).

§. XI.

Huc ſpectat etiam autoritas ſenatus, centum enim illi patres conſcripti, quos e Patritiorum numero, vt Reip. adminiſtrationi operarentur, appellauerat Romulus, niſi in eandem curiarum ſententiam irent, horum ſcitum nullam poteſtatem habebat, vti refert DIONYSIVS [a]).

§. XII.

Et haec hactenus de cauſa efficiente juris Romanorum antiquiſſimi, ſed quatenus id ſimpliciter & a Regibus profectum eſt, conſideratur; quodſi aliter quoad ea, quae poſt acciderunt, id concipiamus, plura in hunc cenſum veniunt. Sic

p) *de LL. lib. 3. p. m. 460.*

q) *cit. loc. de LL. lib. 3.*

r) *Antiquit. Rom. Lib. 6. 7.*

s) *hiſtor. jur. lib. 1. c. 26. n. 40.*

t) *Antiquit. Rom. de LL. Rom. pag. m. 75.*

a) *Lib. 2. cap. 2.*

Sic Romuli quidem leges vetuſtate quadam neglectas Seruius reduxit & renouauit. Easdem cum reliquis Regiis in vnum librum collegit PAPIRIVS, vide POMPONIVM b), commentario illuſtrauit GRANIVS FLACCVS, cujus meminit PAVLVS c). Poſt moribus aduerſis eas abrogatas reſtituèrunt, & XII. Tab. inſeruerunt Decemuiri, vti autor DIONYSIVS d) eſt, & Clariſſ. Viri *Iac.* CVIACIVS e), *Ioſeph.* SCALIGER f), *Fr.* BALDVINVS g), pluribus probant. Plane vbi poſt haec denuo elapſis tot ſeculis in tenebris delituerunt, ſituque quaſi & ſqualore fuere obſitae, poſtliminio qua datum fuit in lucem reduxerunt, *Ant.* AVGVSTINVS, CONTIVS, BALDVINVS, PANDVLPHVS PRATEIVS, *Fr.* MODIVS, MANVTIVS, LIPSIVS, &, quem primum debebamus nominare, FVLVIVS VRSINVS, cui accuratiſſimae collectionis laudem SELDENVS h) & *B.* MAVRITIVS i) tribuunt. Commentationibus illuſtrarunt PIGHIVS k), BALDVINVS l), cum noſtris moribus comparauit FORSTERVS m) conſ-

ſis

b) *L. 2. §. 2 ff. de O. j.*
c) in *L. 144 ff. de V. S.*
d) *L. 2. c. 2* & *L. 10. c. 13.*
e) *Obſerv. L. 3. c 40.*
f) *caſtigat. in* FEST. in voce *Nuptiae.*
g) *Comm. in XII. Tabb. Praefat.*
h) *Diſſ. in Fletam.*
i) *Diſſ. de Libr. jur. Comm th. 1.*
k) *Libr. Annal. cap. 15.*
l) *comm. in LL. Reg. & XII. Tabb.*
m) *de jurisdict. Rom. part. 1.*

ſis *Mar.* SVARESIVM [n]), *Iacob.* GOTHOFREDVM [o]), *Corn. van* EEK [p]). Quando autem PAPIRIVM leges regias in vnum compoſuiſſe ait POMPONIVS [q]), quisnam ille fuerit, controuerti ſolet. Nam plures vno habet hiſtoria PAPIRIOS. Duos DIONYSIVS [r]) meminit *Cajum & Manium; Praetextatum* profert GELLIVS [s]), MACROBIVS [t]), imo & ipſe POMPONIVS [v]) noſter & *Sextum* memorat & *Publium.* Nimirum, vt quos DIONYSIVS habet, pro vna perſona, quae & compilauerit leges Regias, quomodo volunt *Ant.* GARRO [u]), *Fr.* HOTTOMANNVS [x]), FORSTERVS [y]) & MVRETVS [z]) cum diuerſa officia & praenomina habuerint, aeſtimentur, a vero videtur alienum conf. RVPERTVM [a]) *Praetextatum* etiam (ni ejus hiſtoria plane commentum eſt, vti videtur POLYBIVS [b]) innuere) non eſſe confundendum diuerſitas, quo vterque vixit, temporis, (quod *Publ.* PAPIRII fuit ſub Tarquinio Superbo, vti POMPONIVS [c]) teſtatur, non vero

b 5 ro

n) *not. jur. princ.*
o) in *manual. jur.*
p) *princ. jur. civil. tit. d. O. j. th. 3.*
q) *l. 2. §. 2. de O. j.*
r) *Lib. 3. c. 49. & l. 5. c. 1.*
s) *Noct. Attic. L. 1. c. 23.*
t) *Saturn. L. 1. c. 6.*
v) in L. 2. §. 2. junct. §. 36. *ff. de O. j.*
u) *Not. ad L 2. ff. de O. j.*
x) *antiquit. Rom. Lit.*
y) *histor. jur. L. 2. c. 2.*
z) *Not. ad L 2. ff de O. j.*
a) *Enchir. Pompon. c. 3.*
b) *histor. lib. 2. c. 20.*
c) *L. 2. §. 2. ff. de O. j.*

ro Tarquinio Prifco, fecus ac ACCVRSIVS [d]), *Th.* LANSIVS [e]) ac nouiffime, *van der* MVELEN [f]) volunt), fed *praetextati* in libera Republ. euincit conf. contra ZASIVM, FORSTERVM [g]). Igitur foli remanent, quos duos videtur POMPONIVS nominare, cui quid aliud reponendum, quam illud MVRETI [h]). *Ergo in altero errauit?* nifi cùm CORRASIO [i]), *Papirium* eundem duo praenomina habuiffe, malimus. Verum nec POMPONIVS tam foedae obliuionis & contradictionis fubito arguendus, nec pofterius rationi hiftoriae, quae duo vnius perfonae fuiffe praenomina vel nunquam vel pauciffimis faltem exemplis, quae Doctiff. RVPERTVS [k]) habet, refert, congruit, quare tutius fcribas incuriae comperire malumus, quod vitiarint lectionem, & pro *in libro fexto Papirii* reddiderint *in libro fexti Papirii.* Non dubium enim plures de re Romana PAPIRIVM fcripfiffe libros, & quamuis alias a cenfendis textibus abftinendum fit, cum *via illa non regia fed militaris fit*, vti eleganter contra CRVSIVM oftendit HVBERVS [l]) perpendi tamen hic meretur

d) *Gloff. ad* L. 2. §. 2. *ff. d. t.*

e) *Difp de L. Regia th.* 2.

f) *hiftor. Pompon pag.* 35.

g) *hiftor. jur. Lib.* 2. *c.* 2.

h) *ad l.* 2. §. 2. *ff. d. O. j.*

i) *ad* L. 2. §. 2. *ff. d. t.*

k) in *Enchirid. Pompon. c.* 3.

l) *Dialog. de ratione doc. difc. jur. pag.* 72.

retur, crisin illam non tam legi proprie dictae, quam historiae applicari, praeterea & veterum Manuscripta, quae CVIACIVS m) habet, & vbi vox *sexto* notis *VI.* est expressa, quae dubio procul magis ad numerum libri quam praenomen personae quadrant conf. CANTELIVM n), eandem confirmare, adde CVIACIVM o) & nouissime Beat. MARTINI p). Restat alius adhuc IVSTVS PAPIRIVS, cujus mentio in *l. 14. D. de Servit. praed. Vrban. l. 7. D. de public. & vectigal.* qui constitutiones Diuorum Fratrum Antonini & Veri Impp. collegit, & a quo *codex Papirianus*, quem tribus aliis, *Gregoriano*, *Hermogeniano* & *Theodosiano* accensendum vult B. MAVRITIVS q) conf. *Guid.* PANCIROLLVM r), dictus est, sed qui sexcentis, & quod excedit, annis nostro antiquior atque ideo, vti patet, ab eo oppido diuersus est.

§. XIII.

Circa causam finalem nihil hic singulare notandum venit. LIVIVS a) ait *Romulum multitu-*

m) *ad* L. 2. *§. 2. ff. d. O. j.*
n) *de Rom. Rep. part. 2. c. 2.*
o) *in cit. loc.*
p) *de jure Ciuili Rom. ante Iust. Sevan. c. 2. asfert. X*
q) *Differt. de Libr. jur. Comm. th. 4.*
r) *de claris LL. interp. L. 1. cap. 51.*
a) *Lib. 1. c. 8.*

titudini, quae coalescere in populi vnius corpus nulla rè praeterquam Legibus, poterat, dedisse jura. Quamuis enim antiquissimis temporibus arbitria Principum pro legibus fuerint teste IVSTINO b) & IOSEPHO c) idemque ad Romanam Remp. applicet POMPONIVS d), PLATO etiam suam Remp. sine jure scripto, sed quae regeretur a viris prudentibus instruxerit, quo spectant verba apud LIVIVM e) *Leges rem surdam inexorabilem esse* etc. tamen in prudentia civili expeditum est, leges certas fixasque Reip. quam saluberrimas esse, sunt enim instar normae & cynosurae, qua duce ad scopum suum civitas peruenire potest. *Vti corpora nostra sine mente*, ait CICERO f), *sic ciuitas sine lege suis partibus vt neruis, sanguine & membris, vti nequit* conf. ARISTOTELEM g).

§. XIV.

De quibus Reges jura condiderint, non melius, quam si ipsas eorum leges proferamus, cognosci potest. Et primum quidem Romuli. Vbi cum alii plures, alii pauciores nominent: septem proferat MANVTIVS a), LIPSIVS b) sede-

b) *Lib. 1. c. 1.*
c) *Lib. 2. contr. Appion.*
d) *L. 2. §. 1. ff. d. O. j.*
e) *Lib. 2. c. 3.*
f) *Orat. pro A. Cluentio.*
g) *3 Politic cap. 12.*
a) *Antiq. Rom lib. 1. pr.*
b) *in LLbus Reg. & Decemviral.*

sedecim, FORSTERVS [c]) septendecim, alii adhuc plures, vti CONNANVS [d]), EBERLINVS [e]), ROSINVS [f]), inter omnes vero confidentissime octodecim defendat *Fr.* BALDVINVS [g]) insignis ICtus, quas in tabula antiquissima se inuenisse ait, & peculiari commentario illustrauit. Hinc consilium nobis, ne vlla omittatur, quotquot ab autoribus proferuntur, quarum apud fide dignum historicum vestigium occurrit, hic exhibere. Merentur vero, vt ante omnes, quas BALDVINVS habet, producamus, non quidem quasi, prout ab illo proponuntur, sic olim latas arbitremur, cum ob stylum, quem prorsus diuersum ab illo aeuo habent, & quem ne CICERO [h]) quidem ipse latinitatis pater in LL. XII. Tabb. penitus assequi potuit. Confer. *A.* GELLIVM [i]), *Cunr.* RITTERSHVSIVM [k]), multis suspectae videantur, & CVIACIO [l]), MAVRITIO [m]) aliisque eatenus aperte confictae audiant, sed quod qua rem tamen certissima autorum fide maxime

c) *histor. jur. Rom. Lib. I. cap. VI.*

d) *Comment. jur. Civ. lib. I. c. XII.*

e) *explicat. de O. j. cap. 4.*

f) *Antiquit. Rom. L. 8. c. 5*

g) *Tract. de LLbus Regiis.*

h) *Lib. I. de Orat. & de LLbus.*

i) *Noct. Atticar Lib. 20. cap. 1. & Lib. 16. c. 10.*

k) *Dodecadelt. Prolegom. cap. 5*

l) *Comm. ad l. 2. ff. d O. j.*

m) *Diss. de Libr. jur. Comm. th. 1.*

me nitantur. Sunt autem ſequentes. (1) *Ne quid inaugurato faciunto.* (2) *Patres ſacra Magiſtratusque ſoli peragunto, ineuntoque, jusque dicunto.* (3) *Sacrorum omnium poteſtas ſub Regibus eſto, ſacra Patres cuſtodiunto.* (4) *Plebeji agros colunto.* (5) *Populus Magiſtratus creanto, leges ſciſcunto, bella decernunto.* (6) *Deorum fabulas ne credunto.* (7) *Deos peregrinos, praeter Faunum, ne colunto.* (8) *Nocturnas in templo vigilias ne habento.* (9) *ne quis praeſentibus foeminis obſcena verba facito, nec ſeſe quis denudato, ſed obuiis iis via decedito.* (10) *Quisque demiſſam ad talos togam in Vrbe habeto neue egreditor.* (11) *Parricidas omnes capite puniunto.* (12) *Ne quis niſi per portas vrbem ingreditor, moenia ſacroſancta ſunto.* (13) *Mulier viro legitime conjuncta, fortunarum & ſacrorum ſocia illi eſto; vtque domus ille dominus, ita haec domina.* (14) *Filia vti patri ita defuncto viro heres eſto.* (15) *Adulterii conuictam vir & cognati, vti volent, necanto.* (16) *Si vinum biberit domi vt adulteram puniunto.* (17) *Parentum liberos omne jus eſto relegandi, vendendi & occidendi.* (18) *Monſtroſos partus ſine fraude caedunto.*

§. XV.

Hactenus BALDVINI, quas plerasque etiam LIPSIVS recenſuit, niſi quod quarta, no-

na,

na, decima, decima quarta, praeteritis, sequentes substituerit. (19) *Patronus si clienti fraudem faxit, sacer esto.* (20) *sei puer parenteis verberit ast oloe plorassint, puer Diueis parentum sacer esto, sei nuru, sacra Diueis parentum esto.* (21) *Si pater filium ter venumduit, filius a patre liber esto.* Non tamen ideo, quas LIPSIVS omisit, fide historica destitui, putandum est; cum quarta apud DIONYSIVM [a]), nona & decima apud PLVTARCHVM [b]), decima quarta vero rursus apud DIONYSIVM [c]) memorentur. Sicut nec, quas BALDVINVS praeteriit, sed LIPSIVS habet, omnes pro spuriis habendae, cum decima nona apud PLVTARCHVM [d]), vigesima apud FESTVM [e]), vigesima prima vero apud DIONYSIVM [f]) extent.

§. XVI.

Praeter has sunt paucae adhuc aliae, quas PRATEIVS [a]), MARLIANVS [b]) & SABELLICVS [c]) recensent. (22) *Virum vxor ne deserito.* (23) *Vxorem si in veneficio natorum adulteriove deprebensa clamue marito fuerit, repudiandi jus esto, qui praeter bas causas repudiarit, rerum suarum pars vxori dator, pars Cereri*

a) *Lib. 2. c. 2.*
b) in *Romulo pag. m. 10.*
c) *Lib. 2. c 4.*
d) in *Romulo pag. m. 8.*
e) f) *Lib. 2. c. 2.*

a) in *vet. j. prudent. pr.*
b) *Lib. 2. Topograph. Rom. ant. c. 9.*

ri ſacra eſto. (24) *Annus menſis decimus eſto.* (25) *Maximarum injuriarum judicium penes Reges eſto, minorum penes ſenatores.* (26) *Deprehenſi in homicidio ſtatim puniuntor.* (27) *Iudicis fraus ne adhibetor.* Quae tamen & ſingulae in probatis autoribus aeque fundatae deprehenduntur, nam primam & ſecundam PLVTARCHVS d) habet, tertiam praeter alios MACROBIVS e), quartam, ſextam, & octauam DIONYSIVS f), quintam vero itidem PLVTARCHVS g) meminerunt.

§. XVII.

Romulo ſucceſſit (per electionem tamen, vti apud DIONYSIVM demonſtrat Seruius Tullius conſ. BOXHORNIVM) NVMA POMPILIVS, *Rex omnis diuini atque humani juris conſultiſſimus*, vti LIVIO audit. Hic vti ſacra decem potiſſimum nouis inſtitutis auxit. Fidei templum extruxit, aliaque laude digna multa egit, ſic legum ſequentium, praeter alias, quae interciderunt, autor fuit. (1) *Quojus auſpicio, claſſe procincta, opeima ſpolia capiuntur joui Feretrio Bouem caeaito. Quei cepit, aeris ducenta darier oporteto. Secunda ſpolia in Martis aram in campo ſolitaurilia vtra voluerit caedito. Tertia*

c) *Ennead. 2. lib. 2.*
d) in *Romulo pag. m. 10.*
e) *Saturnal. lib. 1. cap. 2.*
f) *lib. 2. cap. 2.*
g) in *Romulo pag. m. 10.*

Tertia ſpolia Jano Quirino agnum marem caedito, centum qui ceperit ex aere dato. (2) *Qui terminum exaraſſet, ipſus & Boues ſaerei ſunto.* (3) *Si quis hominem liberom dolo ſciens morti duit parricida eſto: ſi imprudens, tum in concione pro capite occiſi & natis ejus arietem offerto.* (4) *Pellex aram Junonis ne tagito; ſi tagit, Junoni crinibus demiſſis agnum feminam caedito.* (5) *Piſces quei ſquamoſi non ſunt nec polluceto: ſquamoſos omnes praeter ſcarum polluceto.* (6) *Sei hominem fulmen Jouis occiſit, ne ſupra genua tollito, homo ſi fulmine occiſus erit, ei juſta nulla fieri oporteto.* Quae hactenus ex FESTO a) reſtituentibus ita FVLVIO VRSINO, SCALIGERO, *I.* LIPSIO, Clariſſ. viris, ſunt erutae, quanquam quartae praeterea & GELLIVS b) & quintae PLINIVS c) mentionem faciant: Qui vltimus d) etiam duas ſequentes habet: (7) *Vino rogum ne reſpergito, nec Diis ex imputata vite libato,* quam Poſthumiam, vt is eam vocat, & MANVTIVS e) recenſet. (8) *Deos fruge colito, & mola falſa litato.* (9) *Sacerdos cum rem diuinam faceret, clara voce praeco clamato: Hoc age, vt attento animo ſacris*

a) Hinc inde *Libr. de V. S.*
b) *Noct. Attic. lib. 4. c. 3.*
c) *lib. 31. c. 3.*
d) *lib. 14. c. 12. lib. 8. c. 2.*
e) *LL. Rom. pag. 20.*

ſacris operam daret, apud PLVTARCHVM f). (10) *mulier quae praegnans mortua, ne humetur, antequam partus ei excidatur: qui contra fecerit, ſpem animantis cum grauida peremiſſe videatur*, apud MARCELLVM g) (11) *Pater filium, qui vxorem duxit, ne vendito*, autore HALICARNASSEO h). (12) *Contractus dubios & ſine teſtibus factos, fide & jurejurando terminato*, apud eundem DIONYSIVM, i) Denique (13) *mulier, intra decem menſes nubens, praegnantem vaccam immolet*, (14) *ne vlla Divum effigies ſiat, quae animalis cuiuscunque formam habeat*, & (15) *Annos duodecim nata, ſi velit, matrimonio copulator*, habet PLVTARCHVS k).

§. XVIII.

Decedentis Numae Pompilii locum TVLLVS HOSTILIVS occupauit, ſtrenuus quidem manuque fortis, & qui magna cum Albanis, Fidenatibus, Sabinisque bella geſſit, in iure tamen nouo condendo modicam admodum, quantum conſtat, collocauit operam. Plerumque enim hanc vnicam ſaltem ab ipſo profectam legem referunt autores. (1) *Nati trigemini, doni-*

f) in *Coriolano pag. m.* 71.

g) in *l. 2. ff. de Mort. infer.*

h) *lib. 2. cap. 2.*

i) *lib. 2. c. 8.*

k) in *Numa p. 21. & 22.*

donicum puberes esint, de publico aluntor: quae ex DIONYSIO [a]) eruta est; Tamen praeterea & sequentem ei adscribere non veremur. (2) *Duumuiri perduellionem judicent: Si a Duumviris prouocarit, prouocatione certato: Si vincent, caput obnubito, infelici arbori reste suspendito, verberato vel intra pomoerium vel extra pomoerium:* Quamuis enim LIPSIVS [b]) Romulo eam vindicet, rectius tamen Tullo tribui, LIVII [c]) autoritas euincit: adde FORSTERVM [d]) Quin & tertiam adhuc, qua poena in militiae desertorem fuerit statuta, ex DIONYSIO [e]) colligere tentari posset.

§. XIX.

Quartus Regum ANCVS MARTIVS fuit, cujus quidem nullam hactenus ab vllo, qui jus Regium compilarunt, allegatam legem meminimus, Conf. MVRETVM [a]); reuera tamen ab illo, si non nouas conditas, veteres tamen compositas quasdam fuisse, probari potest. Sane vt fulmina, quibus Rex ejus antecessor conflagrauerat, euitaret, cultum Diis religiosum sacrificiaque solennia eum restituisse, Pontifi-

C 2 cum

a) *Lib. 3. c. 5. in fin.*

b) *De LL. Reg. pag. m. 326.*

c) *Lib. 1. cap. 26.*

d) *Histor. jur. civ. Lib. 1. cap. 8. §. 4.*

e) *Lib. 3. c. 7.*

a) in *Not. ad Tacit. 3. Ann. c. 26.*

cum commentarios ſacrorum, quorum Numa autor fuerat, in tabulas redegiſſe, foroque publico cuilibet videndos expoſuiſſe, hiſtoria teſtis eſt. Imo cum montem janiculum cum vrbe per ſublicium pontem jungeret, ſacrumque Dianae templum extrueret absque nouis Legibus, quibus eorum ſacra moderaretur, id fieri non potuit. Confer. DIONYSIVM b) LIVIVM c) FLORVM d).

§. XX.

Qui huic ſucceſſit TARQVINIVS PRISCVS, belli quidem ſtudio addictus, dum Latinos, Hetruſcos, Sabinosque ſibi obnoxios fecit, vt pacis tamen opera non penitus ipſi negligerentur, *oriundus Corintho graecum ingenium Italicis artibus miſcuit*, inquit FLORVS, a) dum & Senatorum numerum, additis centum e plebe lectis numerum auxit, & muros, Circum maximum, Forumque, vbi judicia agerentur, exornauit. Ex Legibus autem, quarum plures dubio procul de ſacris Iouis, Iunonis & Mineruae, quibus templa, teſte DIONYSIO, extruxit, de praetexta & bulla ingenuorum puerorum inſignibus, nec non ritu triumphandi, quae omnia ipſi tanquam inuentori adſcribuntur, conf.

b) *lib. 3. c. 7.*

c) *lib. 1. cap. 25. & ſeqq.*

d) *Rer. Rom. lib. 1. cap. 4.*

a) *Rer. Rom. lib. 1. cap. 5.*

conſ. ROSINVM b), FORSTERVM c), aliosque, condidit nullas, niſi binas ſequentes, alteram de Veſtalium Virginum numero. (1) *Veſtales Virgines ſex ignis ſacri cuſtodes ſunto*, Alteram de poena (2) *Veſtalis, quae virginitatem polluit, viua defoditor juxta portam collinam*, poſſumus proferre. Vtraque apud DIONYSIVM d) extat, ſecundam vero PLVTARCHVS e) etiam, ſed quaſi a Numa ſancita eſſet, recenſet.

§. XXI.

His tamen hactenus recenſitis, in condendis Legibus palmam dubio procul praeripuit SERVIVS TVLLIVS, ignobili quidem loco, augendae tamen & amplificandae reipublicae vere natus; *praecipuus Seruius Tullius ſanctor Legum fuit, quis etiam Reges obtemperarent*, inquit TACITVS a). Hic enim non tantum leges, quarum Romulus & Numa autores fuerant, vetuſtate quadam neglectas repetiiſſe DIONISIO b) fertur, ſed & egregia ſua tam circa publicum quam priuatum Reip. Statum intro-

 ducta

b) *Antiq. Roman. lib. X. Cap.* 29.

c) *Hiſtor. jur. Lib.* 1. *Cap. X.*

d) *Lib.* 3. *c.* 13.

e) In *Numa Pompil. pag.* 21.

a) 3. *Ann. cap.* 26.

b) *lib.* 4. *cap.* 2.

ducta instituta praestantissimis Legibus muniuit: Sane integram ciuitatem in sex classes & centum & nonaginta tres centurias, per quas comitia publica instituerentur, deinde Vrbem in quatuor regiones, *Palatinam, Suburanam, Collatinam,* & *Exquilinam* noua diuisione partitus fuit. Latinos etiam populos foedere quodam inaequali Romanis junxit. Singulatim autem quinquaginta ejus Leges de contractibus & injuriis, quibus patriciorum cum Plebejis jus in judiciis exaequauit, nec non aliae de sacris per singulos vicos Laribus exhibendis a DIONYSIO c) celebrantur, sic tamen, vt quae ejus verba sunt, *earum mentionem hic facere non opus* duxerit, adeoque nos nec verba nec sensum earundem jam possimus allegare. Sequentes tamen *ex aequissimis & vtilissimis,* vti MVRETO d) vocantur, nobis adhuc superstites sunt (1) *Nullum foenerator in corpora libera debitorum jus habeat.* (2) *Pro censu quilibet bona sua in aerarium inferat.* (3) *Is, qui census non fuisset, bonis spolietur, & virgis caesus sub hasta veniat.* (4) *Quisquis e seruitute censum confessus fuerit, liber fiat, & in tribus distribuatur.* Quae partim & apud LIVIVM e) & FLORVM f) in vni-

c) *lib. 4. cap. 2. pag. m. 327.*
d) in *not. ad Tacit. 3. Ann. cap. 26.*
e) *lib. 1. c. 45.*
f) *de Gest. Rom. lib. 1. cap. 7.*

vniuerſum vero omnes apud DIONISYVM [g]) probatiſſimum auctorem reperiuntur.

§. XXII.

Nunc TARQVINII SVPERBI Leges ſubſequerentur, ſi quasdam ab ipſo latas eſſe probari poſſet. Verum tantum abeſt, vt is ejusmodi quid tentarit, vt potius, ſicut comitia, ſuffragia, & conciones e Rep. ſuſtulit, ſic leges omnes a Tullio latas, vt ne tabulae quidem, quibus inſcriptae eſſent, relinquerentur, teſte HALICARNASSEO [a]) exſtirpauit. Nimirum quae proprietas Tyranni eſt, *jus in armis opprimere leges timore*, vt SENECA loquitur, is in hoc etiam ejus imaginem exprimere voluit: Quomodo PLVTARCHVS [b]) enim ipſum deſcribit: *ὄτε λάβοντα τὴν ἀρχὴν ἀλλ᾽ ἀνοσίως καὶ παρανόμω, ὄτε χρώμενον αὐτῇ βασιλικῶς ἀλλ᾽ ὑβρίζοντα καὶ τυραννοῦντα*, ſi cum DIONYSII [c]) & LIVII [d]) ſcriptis conferatur, nemo illo largius Tyranni menſuram expleuit, vt jure etiam ipſum Roma fuiſſe expulſum fruſtra dubitetur. Conf. GREGORIVM THOLOSANVM [e]) BOXHORNIVM [f]).

 §. XXIII.

g) *lib 4. c. 2. & 3.*

a) *lib. 4. cap. 6.*

b) In *Poplicola.*

c) *lib. 4. c. vlt.*

d) *lib. 1. cap. 49.*

e) *de Rep. l. 6. c. 18. ſect. 19.*

f) *Differt. de Imper. Rom. VII. th. 7.*

§. XXIII.

Hae leges Regiae ſunt, quarum dinumeratione ita defungi liceat. Vt plures tamen, ſi vtcunque numerum augere volupe ſit, proferri poſſe facile concedamus: Sic ſi quaeuis v. g. circa cenſum, SERVII inſtituta in diuerſas leges diſpertiamus, ex lege ſecunda ejusdem Regis vel viginti formari poſſunt, quod tamen, vt leges eſſe ſolent, paucis verbis prolixo ſenſu, & eadem loco interpretationis ex DIONYSIO peti poſſunt, intermittere maluimus. Caeterum ne ſpuriae etiam leges cum veris juxta habeantur, merito cauendum, quare Legem Regiam, quantum etiam illa famoſa ſit, vt *P.* MANVTIVS [a]) Romulum eam ante omnia condidiſſe dicat: *Ne quis vnquam ſuas leges aut ſua facta poſſit infirmare*, omiſimus, quod eo ſenſu apud nullum veterum ſcriptorum, quantum nouimus, illa reperiatur: Hactenus enim, qui de illa agunt, etiam qui eandem putant cum lege, qua Auguſto imperium delatum eſt, vti CVJACIVS [b]), EBERLINVS [c]), WESENBECIVS [d]), HARPRECHT [e]) eam non efficienter, quaſi a Rege lata

a) *Antiquit. Rom. de LL. pag. m. 18.*

b) *ad* L. 2. *ff. d. O. j.*

c) *Explic. tit. d. O. j. Cap. XI. n. 5.*

d) *Comment. ad §. 6. j. de j. N. G. & C.*

e) *Comm. ad d. §. 6. j. d. t.*

lata ſit, ſed objectiue, quia de Regia poteſtate lata eſt, interpretantur. Conf. BOECLERVM f). SCHWENDENDERFFERVM g) MEIERVM h). Prorſus ne illam quidem, quam PLVTARCHVS i) tamen habet, qua Numa, *vt maritus ſi liberorum ſatis ſuſtuliſſet* (quae verba ejus ſunt interp. XYLANDRO) *perſuaſus ab alio prolem deſiderante, vxorem ſuam ei concedendi, inque matrimonium elocandi, jus habeat*, conſtituiſſe fertur, referre auſi ſumus, non tantum, quod ei ſimilem nullibi apud alium ſcriptorem vidimus, ſed & quod quae DIONYSIVS k) alibi habet, eam admodum ſuſpectam reddant.

§. XXIV.

Nunc quae materia ſit ſiue objectum juris Papiriani, facile colligi poteſt. Nimirum non tantum ad negotia priuatorum, ſed & ſtatum publicum, quaedam leges ſpectant. Quod ſi hoc enim in conſultationibus, judiciis & imperiis ſecundum ARISTOTELEM a), quem ſequuntur viri Celebr. *Lud.* HVGO b) & *Sam.* RA-

f) *Inſtit. Politic. lib.* 3. *cap.* 8.

g) *ad Eckold pag.* 73.

h) *Comment. ad tit.* 1. *j. de j. N. G. & C.* §. 6. *pag.* 80.

i) in *Numa pag.* 24.

k) *lib.* 2. *cap.* 2.

a) 4. *Polit.* 14. & 1. *Rhetor.* 16.

b) *de Stat. Reg. German. c.* 3. §. 4.

RACHELIVS c), consistit, oportet leges, quae circa vnum & tribus illis latae sunt, ad jus publicum pertinere. Atque eo oppido referimus ex LL. Romuli secundam & decimam septimam. Imo si jus, quo circa sacra quid disponitur, pars publici juris haberi debet, vti VLPIANVS d) docet, conf. Magn. FELTMANNVM e), nec minus ex iisdem Legibus Romuli, prima, tertia, sexta, septima, octaua, in eum censum redigendae erunt. Id supra jam monuimus fuisse quasdam ex Legibus Regiis, Decemuiralibus insertas. Nimirum ex Legibus Romuli, quintam LIPSIVS f) inter Decemuirales legit, Lex vndecima apud GOTHOFREDVM g) in Tabula octaua, lex decima septima & decima octaua in Tabula quarta, decima nona in septima, vigesima prima in quarta, vigesima secunda & tertia in sexta, tandemque lex penultima in Tabula septima collocata inuenitur. Sed ex Legibus Numae septimam tantum Tabulae decimae, sed TVLLII secundam Tabulae nonae inserit idem GOTHOFREDVS h), vt tamen praeterea & tertiam & duodecimam Numae Legum

c) *Otium Nouiom. c. 3.*

d) L. *1. §. 2. ff. de j. & j.*

e) *Comment. ad ff. Lib. I. §. 2. de j. & j. n. VI.*

f) *Tract. de* LL. *Decemvir.*

g) *Font. 4. jur. civil. Lib. 1.*

h) *cit. loc.*

gum iisdem XII. Tabb. Legibus RITTERSHVSIVS [i]) accenſeat.

§. XXV.

Nunc ad formam; quae vel Eſſentialis eſt vel accidentalis. Illa rurſus vel communis vel propria, communem bonitas moralis & ratio voluntatis Legislatoris abſoluunt. Equidem bonitatem moralem non ſaltem in Rep. regulari, ſed in vniuerſum ad conſtitutionem legis requiri, quicquid etiam in contrarium diſputat HORNEIVS [a]), ſana ratio docet. Conſtat enim, res morales in externos ſenſus non cadere, ſed potiſſimum ex effectibus aeſtimari. Iam cum Legis effectus ſit obligatio, vbi haec ceſſat, ipſam legem etiam tolli dicendum eſt, vti optime probant AVGVSTINVS [b]) & THOMAS. [c]) quanquam, quod fatemur, bonitas non praeciſe poſitiua, ſed negatiua, qua ad minimum juri naturali & diuino non refragatur, vide *H.* GROTIVM [d]) ſufficiat, conf. ſis BACHOVIVM [e]), & B. Dominum MALCOMESIVM [f]).

§. XXVI.

i) in *Dodecad. pag. 56. & 156.*

a) *Philoſ. Moral. cap. 3. §. IX.*

b) *Lib. 1. de Lib. art. cap. 5.*

c) *2. quaeſt. 99. art. 2.*

d) *de j. B. & P. Lib. 1. cap. 1. §. 3.*

e) *ad §. 1. j. de j. N. G. & C.*

f) in *annot. ad Ludw. d. t. I. lit. U.*

§. XXVI.

Iam si id ad Leges Regias applicemus, vix erit, vt quid in illis desiderari possit. Sane DIONYSIVS [a]) etsi Graecus, qui sua alias tantum mirari solent, easdem multis suorum ciuium anteponit, *I.* LIPSIVS [b]) etiam: *Naturae jus Romuli fere leges praeferunt: Numa Gentium addidit:* Non veretur asserere. Nec dubium etiam esset, ex ipsis diuinis Hebraeorum Legibus easdem deriuari, si quod *Clem.* ALEXANDRINVS [c]), PLVTARCHVS [d]), adde SELDENVM [e]), *Gerh. Ioh.* VOSSIVM [f]), HVGONEM *de* ROY [g]), ZEPPERVM [h]) & *Autorem collationis LL. Mosaicarum & Rom.* [quae extant inter opera *P.* PITHOEI] qui Iudaeus [autore WISSENBACHIO [i])] fuisse creditur; volunt, Numam PYTHAGORAE sectarium fuisse, quod tamen LIVIVS [k]), DIONYSIVS [l]) & CICERO [m]) negant, comprobari posset, cum ex IOSEPHO [n]) & ORIGINE [o]) PYTHA-

a) *Lib. 2. cap. 2.*
b) *Praefat. ad* LL. *Reg.*
c) *Strom. 1.*
d) in *Numa pr.*
e) Lib. *1. cap. 2. de j. N. & G.*
f) *de Philosoph. Sect. cap. VI.* §. *28.*
g) *Eo quod justum est Lib. 1. tit. 8.*
h) *de* LL. *Mosaic. lib. 1. cap. 13.*
i) *ad tit. C. de Iudaeis & Caelic. th. 6.*
k) Lib. *1. c. 18.*
l) *lib. 2. cap. 7.*
m) *lib. 2. de Orator.*
n) Lib. *1. contra Appion.*
o) Lib. *1. contr. Celsum.*

PYTHAGORAM plurimum ſuam doctrinam Iudaeis debuiſſe, laudatus VOSSIVS p) probet. Id res ipſa loquitur, ſi Numae legem nonam, decimam quartam, nonnullasque alias cum Legibus Moſaicis conferamus, miram vtique earundem harmoniam comparere, vt laudatus LIPSIVS q) etiam ex quo ad Pontificiorum caſtra tranſiit, Legibus ſuis regiis & Decemviralibus Eccleſiae Antverpienſis Canonici WALTHERI *van der* STEEGHEN approbationem, *quod religionem Catholicam non offendant*, ſubjicere non dubitauerit.

§. XXVII.

Ex profanis quidem Romuli Legibus decima ſeptima, qua Patri omne ius relegandi, vendendi, occidendi tribuitur, ſcrupulum quendam mouere poteſt; quanquam enim alias expeditum ſit, Parenti hactenus non ſaltem in ſtatu naturali [de quo Ill. PVFFENDORFFIVS a), Dn. HOVTVYN b) id concedunt, & *Ioh. Frid.* HORNIVM c) nequicquam refutat *Achilles* EPSTEIN d),] ſed ciuili etiam praeprimis, qui recenter,

p) *de Sect. Philoſoph. cap. VI. §. 5.*

q) *In fin.* LL. *Reg. pag. m. 331.*

a) *De I. N. & G. Lib. VI. §. 11.*

b) *Polit. contr. not. in §. 29. pag. 68.*

c) *de Ciuit. lib. 1. cap. 2. §. 3.*

d) in *not. ad dict. loc. pag. m. 120.*

center, qualis tum Quiritum erat, institutus, quod exempla etiam Iaponensium apud *Erasm.* FRANCISCVM [e]), & Norimbergensium apud Magnif. quondam huius Academiae Procancell. *Dn.* MALCOMESIVM [f]) loquuntur, & in vniversum reducendum suadet BODINVS [g]) saluo jure naturae & diuino imperium in sobolem etiam summum competere posse: Tamen vt Pater majus, quam Dominus in seruum, quod non vna sed trina venditione finiatur, praeterea in liberos etiam, qui Magistratus gerunt, [vti haec singula testatur DIONYSIVS [h]) adde HVBERVM [i])] & quidem, quod maximum est, illimitate, nullaque necis legitima causa supposita, quod argum. legis Petroniae apud MODESTINVM [k]), & eorum, quae apud DIONYSIVM [l]) occurrunt, inferimus, exercere valeat, atrocitatis magis esse, quam pietati patriae convenire, quotusquisque non diceret? adeo vt ob eam atrocitatem, legem ejusmodi ne unquam quidem latam fuisse, Dn. VVLTEIVS [m]) [&

RIT-

e) *Lustige Schaubühne* pag. 507.

f) *not. ad Ludwel. tit. ff. de his qui sui l. alien. jur.*

g) *de Rep.* Lib. 1. *cap.* 4.

h) Lib. 2. *cap.* 2.

i) *de j. Civit. Lib.* 2. *Sect.* 1. *cap.* 5. *§.* 39.

k) in *l.* 11. *ff. ad* L. *Corn. de Sicar.*

l) *Lib.* 2. *cap.* 2.

m) *ad pr. j. de P. P.* n. 2.

RITTERSHVSIVS [n]) malint ſuſtinere. Nihilominus vti horum quidem rationibus ex VLPIANO [o]) RAEVARDO [p]), & B. HVBERO [q]) ſatisfieri poteſt; ſic praeterea ad defenſionem dictae legis facere videtur, quod mere ſit permiſſiua, non vero praeceptiua; adde quae venuſta SIMPLICII [r]) hac de re philoſophia eſt. *Veteres Romanorum Leges, tum excellentia naturae conſiderata, & laboribus, quos filiorum cauſa parentes capiunt: tum etiam eo conſilio, vt liberos omnino patriae poteſtati ſubjicerent, freti naturali parentum erga filios pietate & vendendi illos, ſi vellent, poteſtatem dedere parentibus & occidendi.*

§. XXVIII.

Ratione promulgationis jus in ſcriptum & non ſcriptum DD. partiri ſolent: Illud eſt, quod expreſſa, ſed hoc, quod tacita promulgatione conſtat, conf. §. *3.* & *9. I. de I. N. G. & C.* Non illud autem tantum, ſed & hoc a Regibus fuisſe conditum, DIONYSIVS [s]) autor eſt, adde FORSTERVM [t]).

§. XXIX.

n) *Dodecad. Claſſ. 3. cap. 1. pag. 77.*

o) in *fragm. 10.*

p) *ad XII. Tabb. cap. 3.*

q) *Digreſſ. L. 2. c. 4.*

r) *Comment. ad Enchir. Epictet. pag. 62.*

s) *Lib. 2. cap. 2. & cap. 4.*

t) *Hiſtor. jur. civ. Lib. 1. cap. VI.*

§. XXIX.

Nunc forma ſpecialis, modus ſc. quo leges illas condiderunt Reges, preſſius explicandus foret: ni hiſtoriae defectus plura quam ſupra §. X. propoſita ſunt, differendi anſam praecidiſſet. Quodſi enim Legum in Rep. libera condendarum ratio verſatur in obſcuro, vti conqueritur MANVTIVS [a]), quid de Regiis dicemus, quarum conſtitutio, ſi quibusdam ſcriptis fuit conſignata, tamen parum abeſt, quin magno illo incendio, quo Vrbs a Gallis anno 366. incenſa fere tota conflagrauit, cum multis monumentis publicis, teſte LIVIO [b]) tota fuerit conſumta conf. VOSSIVM [c]). Id tamen adhuc teſtatur HALICARNASSEVS [d]), fuiſſe quidem illas leges, cum conderentur, redactas in ſcripturam, vt tamen non aeneis, ſed ſaltem quernis tabulis imprimerentur. Literas vero, ſi eidem credimus DIONYSIO [e]), characteribus graecis fuiſſe expreſſas. Illud ad accidentalem formam pertinet, quod vbi ob breuitatem, vti fieri ſolet, interpretatione illis opus fuerit, a Patriciis plebejorum Patronis fuerint explicatae. Eam enim fuiſſe juris Patronatus, quod

a) *De* LL. *Rom. pag.* 251.
b) Lib. *VI.*
c) *Hiſtor. Latin. cap.* 1. Lib. 1.
d) *Lib.* 2. *cap.* 9. *pag.* 268.
e) Lib. 4. c. 3. *in fin.*

quod Romulus introduxit, partem aperte DIONYSIVS f), PLVTARCHVS g), & GELLIVS h) testantur, imo dum & hodie adhuc, qui aliis in judicio assistunt, Patroni vocantur, inde dubio procul adhuc descendit.

§. XXX.

Fuere hae Regum leges, quousque quidem illorum Romae imperium durauit, fere in perpetuo valore, nisi, quod rarissime tamen factum credimus, ipsi suis inuicem Legibus etiam legantur derogasse. Confer cum lege vigesima prima Romuli, legem undecimam Numae, sed Tarquinius superbus primum importuno ausu, quod felicitati quidem ciuium, non vero suo in Rempubl. animo conuenirent, vti supra dictum, eas abrogatum iuit; donec *exactis Regibus lege Tribunicia omnes leges hae exoleuerint*, vt ait POMPONIVS. Quod vtique tamen sic capiendum, non quasi *jus Papirianum* expresse Lege Tribunicia, qua, quae a L. Bruto Tribuno Celerum de exilio Tarquiniorum lata, non sacratam illam de Tribunitia potestate intro-

f) *lib.* 2. *cap.* 2.
g) in *Romulo.*
h) *Noct. Atticar. Lib.* 5. *c.* 13. & *Lib.* 20. *cap.* 1.

troducenda, ac CVJACIVS [a]), nec *Terentillam*, a Terentio Arſa Tribuno pl. promulgatam, vti GOVEANVS [b]) vult, cum RVPERTO [c]) intelligimus, fuerit abrogatum, quomodo quidem MVRETVS & ZASIVS hunc locum capiunt, ſed quod Reges quidem eadem directe & primario expulſi, per conſequens deinde tacito populi conſenſu ſequente id fuerit ſublatum, ſic enim ratio ſermonis latini in verbo *exoleſcere* ſuadet, adde ſis MARCILIVM [d]) & RITTERHVSIVM [e]). Ceterum quam breui poſtmodum illae fuerint in vſum reductae, legibusque XII. Tabb. inſertae, jam ſupra pariter a nobis occupatum eſt. Saltem illud adhuc videamus, an ſint ex recenſitis Legibus, quae hodiernum vſum integrum & illibatum ſervarint. Quod omnino affirmandum eſſe, exempla probant: Vt enim non niſi per portas in Vrbem eatur, murique ſancti ſint & inuiolabiles, per *L. 12.* ROMVLI, non jure tantum Iuſtinianeo in *L. 8. & L. vlt. D. de Rer. Diuiſ.* tam quoad muros Vrbis Romae quam ciuitatum municipalium, vti contra BACHOVIVM [a]) & WISSEN-

a) *ad L. 2. §. 3. ff. de O. j.*

b) *Lib. 1. var. lect. cap. 21.*

c) *animadv. ad Enchir. Pompon. cap. 4.*

d) *Interpret. XII. Tabb.*

e) *Dodecad. cap. 4.*

f) *ad Treutl. vol. 2. D. 20. th. 1. lit. C.*

SENBACHIVM g), optime B. STRAVCHIVS h) & FRANZKIVS i) oſtendunt, in caſu etiam, vbi hoſtilis animus abeſt, ſecundum Magn. Dn. STRYCKIVM k) eſt approbatum, verum moderno etiam adhuc frequentique vſu valet, vti atteſtatur PHILIPPI l), CARPZOVIVS m) atque alii. Porro quae *l. 20. l. 24. D. ad L. Iul. de adulter. l. 8. C. de Repud. Nov. 22. c. 15. Nov.* 117. *c. 8.* de jure Patris & mariti circa filiae & vxoris adulteria ſunt conſtituta, eadem vt loquitur HILLIGERVS n) *tanquam ejusdem juris veſtigia*, ex *l. 15. 17.* & *23.* Romuli promanarunt: neque eo ſaltem jure tenorem obligandi habent, ſed quod juſtitiae ex aſſe congruant, nec vlla ratio, quare, quod *Bened.* AEGIDIVS o) & BACHOVIVS p) volunt, e finibus Chriſtianorum relegentur, ſubſit, praeterea etiam CAROLVS *V. conſtit. crim. art. 142.* ad eadem ſeſe referat, vti

d 2 ſolet,

g) *Diſp. 9. th. 19.*

h) *Iur. Iuſtin. Diſſ. 6. Aph. 8.*

i) *ad §. 10. de RR. diuiſ.*

k) *Comm. ad d. §. Inſt.*

l) in *Obſerv. Practic. ad Tit. j. de Rr. Div. ecl. 2.*

m) *Prax. crim. Qu. 40. n. 21.*

n) *Ad Donell. Lib. 2. c. 25. lit. b.*

o) *De j. patr. poteſt. art. 6. n. 27.*

p) *ad Weſenbec. t. de adulter. n. 20. in fin.*

ſolet, pro jure communi, vsque dum abrogatio probetur, praeſumi *l. 5. ff. de Probation.* hodieque adhuc easdem leges ſuo talo ſtare, cum *B.* STRVVIO [q]) arbitramur. Plura non addimus, ſufficiunt enim, vt, quo jure Leges Romuli nomine Fabularum tam crude indigetandas putet MANZIVS [r]), conſtare poſſit. DEO ſit laus, honor & gloria.

q) *Diſſert. de Vindicta Priuata cap. 8. n. 10.*

r) *Rat. regal. ad. §. j. j. Prooem.*

GLUCK

de Jure civ.

Papiriano